This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

759
W 111

WAARDENBURG.

OPUSCULA.

UNIV. OF
CALIFORNIA

HENRICI WAARDENBURG,

HARLEMENSIS GYMNASII RECTORIS,

OPUSCULA

ORATORIA, POETICA, CRITICA.

HARLEMI
APUD A. LOOSJES, P. F.
CIↃ IↃ CCC XII.

Ex typis J. Brill Leidae.

UNIV. OF
CALIFORNIA

L. S.

Paucis te monitum volo, Lector benevole, me jam olim, cum Lingae Antiquitatis et Philologiae professionem regimenque Scholae regiae sustinerem, bonam horum opusculorum partem, postulante utriusque muneris ratione, in lucem misisse. Viget enim ibi, sicut in pleris que Germaniae Scholis et Academiis, consuetudo indicendis harum solemnibus commentatione aliqua proludendi; cui consuetudini obsecutus, tum alia quaedam, tum praesertim criticas in varios auctores observationes edidi. Quae cum viris quibusdam doctis, quibuscum illa communicaveram, non displicuerint, singulatim vero diversis temporibus, quandocunque occasio vel necessitas incidisset scribendi, fuerint edita, et inter paucos distributa; consilium cepi, ea, passim emendata et aliis maximam partem ineditis aucta, uno volumine evul-

ga-

W-24565

502594

gare. Ad inedita pertinet oratio habita ad auspicandum Gymnasii Harlemensis regundi munus, carmen in obitum Hieronymi Bosschii cum duobus epigrammatis, denique in auctores, maxime Propertium, animadversiones non paucae. Ex editis vero C. T. Kuinoelius, vir clarissimus, observationes in Propertium selegit, et editioni suae adspersit, quod idcirco moneo, ne forte, hujus Propertium legens, mireris, easdem ibi observationes aut interpretationes, quas hoc volumine repetii, ad verbum perscriptas reperiri auctore non ubique addito, ex. gr. in commentario textui subjuncto ad III. XXIV. 1, 2.

Ceterum haec studiorum meorum specimina ut aequo accipias animo, vehementer opto.

HENRICUS WAARDENBURG

EVERHARDO FILIO *S. D.*

Cum easdem tu literas, quas ego profiteor, et ames et colas, mi fili, nihil necesse est, harum tibi dignitatem ac praestantiam denuo laudare, aut hoc studium sponte currenti stimulos admovere. Perspectum mihi est, auctorum veterum lectionem quanti facias, haud ignarus, exquisitissimis illam abundare fructibus sapientiae, leporis omnisque humanitatis politae. Huius autem libelli te impertiens munere, id maxime spectavi, ut, quam sim potissimum in his studiis rationem secutus, specimine quodam tibi ostenderem. Multae quidem et variae sunt copiae eruditionis in antiquorum scriptis, velut in thesauris, cumulatae nobisque relictae, unde quocunque in genere laborare velis, utilissima liceat haurire. Verum paucissimis hoc aut a natura datum est, aut vitae ratio permisit, ut, non dico omnia, sed plurima genera complecterentur, ex plurimis omnibusve parem sibi laudem compararent. Atque ego ita semper existimavi, siquis in doctrinae studiis ad spem aliquam perfectionis adspirare velit, huic unum esse genus eligendum, cui praecipuam operam impendat, facioque adeo cum Propertio meo, cujus haec est sententia:

Qua pote quisque in ea conterat arte diem. Itaque cum a pueris naturae quodam impulsu ad poëtarum elegantiam, tum ad vim etiam ornatumque oratorum ferri me sentirem, in his majorem otii partem occupatam habui, neque unquam abhorrui ab iis, quae ad limandum de utrorumque facultate judicium pertinere existimantur. Quod dum memoro, nihil egomet mihi sumo: quantum quidem in istis profecerim, alii judicent: volui duntaxat indicare tibi, quid secutus sim, et qua via, sperans eadem te ratione usurum. Multis profecto ingenium inde a prima juventute subigendum esse disciplinis, non est, quod moneam. Quemadmodum vero in hortis quum plurimos variosque flores colimus, non tamen aeque omnes nobis placere solent, sed allis alii jucundiores esse gratioresque, ut hos strictim et praetereuntes adspiciamus, illos saepius ac diu contemplemur atque admirati non desinamus; hos mollice curemus, illos omni diligentia tueamur; alamus, foveamus; sic in artibus cum ad jucunditatis fruetum, tum ad utilitatis laudisque, multum interesse arbitror, alias velut a limine tantum salutare, alias amare impensius, complecti, osculari. Igitur quaecunque pars literarum tibi arriserit, ad quam, ut ingenio aptissimam, prae ceteris animum intendas, in hac parte, moneo, accurate summaque cum diligentia verseris. Quam in rem si forte aliquid tibi opis aut exem-

exempli hic libellus attulerit, et tua cauſa gaudebo et mea; idque in maximis ponam dulciſſimisque, quae ex his ſtudiis unquam percipere mihi licuit, emolumentis. Saltem videbis, auctores Latinos ita a me verſatos eſſe, ut eorum dictionem poëticam, ſicut antea carminibus elegiacis, nunc et elegiacis et lyricis paucis, tum quoque ſolutam, imitandi cupidine adductus, exprimere aliquo modo conatus fuerim; deinde in quorundam lectione, praeſertim poëtarum, eam curam adhibitam, ut ſenſum penitus eruerem, *et ſiquid mendi alicunde allatum aut difficultatis deprehendiſſe* mihi viderer, id corrigendum expediendumve ſusciperem; in quibus et Graeca attigi. Qua de re opportunitas me monet, maxime de emendando et illustrando Propertio, quaedam ſubjungere.

Quanto nimirum magis in omni genere poëſios *antiquorum praeſtantiam admiramur*, eo magis culpanda videtur fortuna, quae tot opera clariſſimorum ingeniorum nobis inviderit, ſuperſtitum vero plurima lituris ac lacunis deformaverit paene innumeris. Accedit aliud malum non minus grave, ab indoctis doctisque arceſſitum; ſiquidem non librarii tantum oscitantes atque inſcii, aut correctores etiam scioli, multis mendis olim auctores foedarunt omnes, ſed et viri humanitatis *doctrina laudabiliter* imbuti, deinceps, dum ſuccurrere laborantibus cupiunt, horum vulnera

urendo et secando exulcerarunt magis, quam sanarunt. Videntur enim nonnulli ad emendandos poëtas veteres eo animo accedere, ut suam mentem suumque sensum iis obtrudant, de proprio cujusque genio, stilo, eruditione, moribus, aetate minime solliciti. Unde quam absurdae hallucinationes, quantae turbae necessario orianter, intelligentibus perspicuum est. Utriusque autem incommodi, cum a fortuna, tum ab hominibus importati, exemplum nescio an ullum existat gravius, quam in Propertii suavissimis elegiis; cui siqui contra ipsos etiam medicos auxilio veniant, gratissimum facere Musis elegantioribus existimandi sunt. Itaque in hoc auctore retractando, interpretando, poliendo cum occupatus essem, et sedulo cavere vellem, ne in ea incurrerem vitia, quae modo criminabar, fines, quibus illius cohibenda esse emendatio mihi videbatur, animo conceperam: eorumque rationem, usui, ut opinor, tibi futuram, paucis hic describere mihi proposui.

Ad quemcunque igitur veterum poëtarum aliquis explicandum corrigendumque sese applicat, hunc oportet non modo res ipsas, quae ab eo pertractantur, sed et orationis, qua utitur, formam et characterem probe noscere, ejus investigare vitam, mores, disciplinam, civitatis ac temporum, quibus vixerit, historiam, mores, ritus, opiniones, omnemque conditionem, scripta ali-

aliorum, quae legere atque imitari potuerit, cum aequalium, tum inprimis antiquiorum, denique ea omnia, quaecunque ad formanda ingenia, et universam cogitandi, sentiendi scribendique rationem vim suam afferre solent, postremo versiones atque imitationem, qua eum exprimere posteriores studuerint, et quaevis operum ab eo relictorum fata. Sic breviter totum fere critici munus informavi, atque adeo illius, qui in exponendo Propertio et a maculis liberando feliciter versari cupit. Quodsi res *sive argumenta*, ab eo tractata, per se ipsa spectentur, fatendum est, ea esse tenuioris generis, utpote in depingendo amoris sensu, lusibus et cunis maximam partem sita; maximam, dico, partem, nam et alia occurrunt graviore plectro modulata, ut major pars libri quarti, et nonnulla libri tertii carmina. Verum *omnia non modo* sententiarum dignitate ac splendore, veluti gemmis aurum, distinxit, sed tanta doctrinae copia adornavit, ex religione, ritibus et rebus gestis sui populi, tum ex omni antiquitate tam larga manu multa eaque saepius: rariora adspersit, ut, qui ab his rebus imparatus ejus sascipiat interpretationem, velut in labyrinthum nullo instructus filo temere se conjiciat; imo peritissimi quoque in nonnullis verum se nondum videre fateantur. *Sed maxima* difficultas est in universa oratione, ex intima linguae cognitione et omni re

poë-

poëtica illustranda et constituenda. Nam doctrina illa, quam ubique affectavit Aurelius, non in rebus modo conspicua est, sed in rariore et exquisitiore usu verborum, in dictionibus ipsisque numeris ad graecam formam expressis, in acumine, hiatibus, tropis, figuris audacioribus lyricaeque sublimitati proximis, in troporum de eadem re diversorum conjunctione, in exemplis et comparationibus ad vitiosam luxuriam aliquando coagmentatis. Haec Propertii esse propria attentum assiduumque lectorem non potest praeterire: eademque, necesse est, hujus poëtae κρίσιν valde reddant lubricam ac difficilem. Unde accidit, ut interpretes in alios alii inciderent errores. Multi iique optimi difficiliora et singularia cum facilioribus et vulgaribus perperam commutarunt, vocabulorum usus ac dicendi formulas cum ex graeco fonte hausta esse non animadverterent, pro non bene Latinis et corruptis rejecerunt, numeros etiam, qui paulo duriores viderentur, in molliores reformarunt. Nic. ex. gr. Heinsius, qui, quamvis plurima scriptorum loca egregie correxit, tamen saepe audacior est et praeceps in conjectura, l. V. 11. *Non tibi jam somnos, non illa relinquet ocellos*, temere sic mutat: *Non tibi jam somnus noctu inclinabit ocellos.* Verborum sensus quidem paulo est reconditior, neque tamen dubito, quin ipsius sint Propertii. *Ocelli*, dum *somnis* opponuntur,

tur, ſunt vigilantis, dicitque poëta: illa neque decumbentem te, neque vigilantem relinquet, dies noctesque illius imago in oculis animoque tibi verſabitur, neque *alio*, ut ipſius verbis utar, IX. 27, te *vacuos ſeducere ocellos* patietur. Cf. Burmannus. Ita difficultas non raro latet in una vocula, quemadmodum etiam III. XXIV. 2. quo loco *oculos* alio ſenſu poſitos, ſed a nonnullis parum intellectos, explicui. P. item Francius, plana levique oratione et rhytmo Naſonis, ad cujus rationem et in *carminibus ſuis* totum ſe conformavit, unice delectatus, eadem aliquoties ingerere Propertio voluit invito, ut II. VIII. 26. *Hoc eodem ferro ſtillet uterque cruor*, pro quo malebat: *Hoc eodem ſtillet telo utriusque cruor*, et II. XII. 23, 24, *Quae caput et digitos et lumina nigra puellae*, *Et canit, ut ſoleant molliter ire pedes*, ubi legebat: *Cantat et ut ſoleant* cet. Vides, faciliorem eum ſtructuram quaeſivisſe, ſed infelici ſucceſſu. Neutram harum lectionum cum vulgatis permutare velit Muſae Propertianae judex peritus. Cum porro Poëtae Latini omnes, ut par fuit, ad Graeca ſe conformarent exemplaria, tum Propertius ita multos inde ſales Veneresque mutuatus est, ut ex Graecis totus fere pendeat. Quod etiamſi dudum perſpexerunt interpretes docti, et multa Graecorum exemplis illuſtrarunt, tamen non pauca, in quibus haererent,

rent, ab iis sunt relicta, a recentioribus demum eodem subsidio in lucem vocata, aut lucem etiamnum exspectantia. Imo post Burmannum quoque hanc medendi rationem a viris doctis feliciter adhibitam fuisse novimus, velut a D. Wyttenbachio, clarissimo illo Academiae Leidensis lumine, quem per annum audire tibi contigit, qui ex rariore usu particulae *καὶ* negantis, si praecedat negatio, explicat I. XVI 11, 12. *Nec tamen illa suae revocatur parcere famae, Turpior et sicli vivere luxuria*, „id est", inquit, „continuanda negatione priore ad sequentem versum: *et non turpior vivere; non revocatur, quominus turpior vivat.*" Vid. Biblioth. Crit. vol. III. part. IV. p. 5. Plura hujus generis specimina dedit in censura editionis Propertii Burmannianae ibid. vol. II. part. II. p. 1. sqq, et vol. III. part. IV. p. 49 sqq. Similiter Huschkius, vir. clarisc., compluribus locis clariorem lucem affudit in Epist. ad L. Santenium et Analectis criticis. Quo quis idcirco attentius Graecos auctores legerit, et cum nostro comparaverit, eo plura hunc, difficultatibus adhuc presa, explanaturum esse confido. Cum vero tam crebra sit in poëtis Latinis Graecorum imitatio, tirones hortari non desisto, si intelligere Latinos cupiant, simul Graecos frequenti versent lectione; idque prorsus necessarium esse magis et magis tibi persua-

de-

deas, velim. Dicebam praeterea fuisse, qui molliores versus male infererent pro duriusculis. In his est Douza pater, qui versum pentametrum, I. VII. 4. *Sint modo fata tuis mollia carminibus*, ita mutabat: *Sint modo carminibus mollia fata tuis*, codicique suo annotaverat, non aliter scripturum fuisse Ovidium, non cogitans Propertium, praesertim in primo libro, de industria ad Graecorum rhythmum pentametros concinnasse positis in fine polysyllabis, cum Ovidianis auribus bisyllaba magis placerent. *Vid. Burmann.* ad h. l. et in *praefat.* ad *Lotichium*. Nihilo melius nonnulli hexametrum III. VI. 25. *Non me moribus illa, sed herbis improba vicit*, inverterunt scribendo: *Improba non vicit me moribus illa, sed herbis*. Perspicuum utique est, numeros istos negligentius compositos flenti puellae prorsus convenire *et singultus* fere ipsos exhibere. Qualia ut commodo observemus, necesse est animum habere pulcri et decori sensu probe imbutum, quem sensum, unde summum harum artium pendet judicium, diligenter colas et acuas, moneo, optimorum exemplarium tractatione assidua atque imitatione, inprimis Homeri, qui naturae quodam modo proximus est. Ceterum eundem illum errorem inprimis erravit Francius, cui, ut paulo ante dicebam, facilitas Ovidiana in deliciis erat. Alii vero discesserunt in alia omnia; quorum non

pau-

pauci, videntes singularia quaedam Propertio placuisse, quidvis sibi licere crediderunt, et poëtae seculi Augustei verba obsoleta, Ennio potius et Pacuvio digna, ingerere ausi sunt, quod profecto nihilo sanius est, quam siquis pulcrae novaeque vesti veteres et sordidos asucre velit panniculos. E multis unum modo et alterum notabo, II. III. 42. *inante* pro *in arte* intruserunt Gifanius, Livineius, alii; ibid. V. 28. pro *Cynthia forma potens*, *Cynthia forma levis*, Scaliger legebat: *C. formipotens*, *C. verbilevis*. Idem IV. IX. 35. *Fontis egens erro, circoque sonantia lymphis*, de quo versu vid. observatt. meas. Eandem ob causam mihi non placet Jacobsii, viri clarisſ., conjectura III. XIII. 42. *Parebant* (i. e. apparebant) *festis, turba benigna, focis*. Semper etiam offendor voce *positura* IV. III. 38. quam ideo corrigere tentavi. Huc referendae sunt tmeses durae, velut III. IX. 64. *Ad Decius missо praelia rupit equo*, quae lectio est Gruteri. Idem III. XIII. 10. legebat: *Conque terunt fastus* cet. Cf. Observatt. meas ad III. V. 14. Simile est vitium eorum, qui nulla auctoritate vocabula mere Graeca admiserunt; ita Lipsius et Toupius I. XX. 33. *Hic erat Arganthi Pege*, pro communi voce Latina *fonte* posuisse Propertium putabant *pege*, qua notione perperam quoque in lexicon suum recepit Schellerus, cum hoc sit fontis nomen proprium

prium. Eodem numero habenda Guyéti conjectura *thecis* II. VIII. 30. quamquam haec vox pedestri oratione usurpetur. Denique ut poëta noster non perpetua fluit numerorum similiter cadentium aequabilitate, ita nec duritie molestus est auribus, sed grata delectat modorum varietate. Inde perversum utique habendum est quorundam consilium, asperitatem ei Catullianam tribuentium; in quo numero est Jacobsius, quandoquidem versus II. XXV. 35, 36. *At si saecla forent antiquis grata puellis, Esfem ego, quod nunc tu, tempore vincor ego*, sic emendandos censet *Et si saecla forent antiquis clara puellis, Exemplo essem ego, nunc tempore vincor ego.* Distichon quomodo expediendum mihi videatur, invenies in Observatt. Durius quoque est, quod Mitscherlichius, vir clarisс., tentat II. VIII. 4. *Ipsum me jugula, lenior hostia ero*, pro *hostis eris.*

Vides in hoc poëta intelligendo et corrigendo quam difficile sit, mediam, qua verum plerumque inveniatur, tenere viam, cum viri summae doctrinae ac sollertiae in hanc vel illam partem interdum deflexerint. Sed superstunt alia, a quibus cavendum est. Agnoscimus equidem in Propertio doctrinam singularem, et vero eam, quae nimia nonnunquam videatur esse; simul autem admiranda est in eo simplicitas atque adeo vis et majestas quaedam dictionis ac sententiarum. Abhorret ab

argutiis illis et verborum luſibus, quos alii libenter captant. Quamobrem non aſſentior Marklando, qui IV. 11. 27. ubi legitur *Arma tuli quondam, et, memini, laudabar in illis*, tentabat *in armis*, quod tamen ipſe merito verebatur, ne alienum eſſet a ſimplicitate Propertiana. Idem argutiorem ſenſum tribuit IV. VI. 26. quo loco, vide ſis, quae obſervavi. Peſſime vero et de poëta et de lectoribus conſuluerunt ii, quos non puduit ſuam mentem obſcoenam illi ſupponere, idque iis locis, ubi nihil tale cogitaſſe auctorem ſatis certo liqueat. Nolo testimonia proferre, quae potius, ſi fieri posſet, omnia penitus eſſent obliteranda. Habent vero antiqui poëtae erotici quaedam a moribus nostris aliena et turpia; ſed haec augere velle quantae est turpitudinis! Patet interpretes hujusce modi non ſolum a vero ſenſu et ſapore ſeſe removiſſe, ſed animum prodere impurum, quo ſuum ipſi officium eludunt. At hoc iſti viderint! Tu, mi fili, talibus cum verecundia transmiſiſis, ea, quae vere pulcra ſunt et venusta, ut facis, ſtudioſe perſequere, atque inde animum inſtrue et exorna. Venio nunc ad verſuum transpoſitionem, quae antiquorum ſcriptis paſſim luxatis et confuſis non raro ſalubris fuit, qua vero nemo unquam magis abuſus est, quam magnus ille Scaliger, in Tibullo praeſertim et Propertio. Gloriatur quidem ille ſe primum in his poëtis per-

perturbationem iſtam odoratum eſſe; ſed utinam in hanc partem naribus fuiſſet minus acutis! Tanta enim licentia progreſſus est, ut non modo earundem elegiarum verſus trajecerit, ſed ex aliis quoque in alias elegias, imo ex alio libro in alium eos relegaverit, carmina diverſa conjunxerit, ex variis laciniis nova conflaverit, denique mire plurima miſcuerit, ſaepe nihil ſecutus praeter aliquam ſententiarum ſimilitudinem. Quamobrem ab Hemſterhuſio, Heynio, aliis, jure reprehenſus est. Vulpius autem priorem *ordinem reſtituit*. At *Burmannus ad Scaligeri* quidem Broukhuſiique exemplum editionem ſuam ordinavit; verum in progreſſu operis, teste Santenio, hujus inſtituti vehementer eum poenituit. Scaligeranas quoque transpoſitiones praeter alios rejecerunt F. G. Barthius et Kuinoelius, cujus textum ego ſum in obſervationibus ſecutus. Praecipuam vero turbandi cauſam *Scaligero* praebuiſſe videtur non obſervata elegiae natura; quippe cujus oratio plerumque negligentior est et abrupta propter affectionum varietatem, apostrophas multiplices, rationem dramaticam; ut, ſi hiatus, inde natos, implere et petitis undecunque verſibus ſarcire velis, neceſſe ſit, in poëta elegiaco elegiae veritatem obſcures opprimasque. Sed de tota hac re conſule Heynium ad Tibullum in commentatione de Tib. codd. et editt. p. XIV ſqq. et in Obſervatt.

ad Lib. I. El. I. Quae etiamſi ita ſint, tamen conſtat Propertio ineſſe loca quaedam, quibus, uti nunc habentur, omnis deſit junctura: unum et alterum reſtituere tentavi; ſed ſuperſunt, de quibus nihil aliud ſtatuere licet, quam aut excidiſſe verſus, aut aliunde male irrepſiſſe, ex. c. Lib. III. XIII. 43—46.

Praeterea fuerunt, quos verba non magno intervallo repetita in errorem inducerent, quo abrepti nonnulli, dum corrigunt, in idem incurrerunt vitium, quod evitare voluerant, vocesque repoſuerunt vicino loco jam poſitas, ut Marklandus III. VIII. 18. et Heinſius IV. II. 29. Ab hujusmodi vero repetitionibus Propertium aliosque non refugiſſe oſtendit Schraderus Emendatt. p. 154. et ad Muſaeum cap. XIII. Recte tamen idem priore loco obſervat verba proxime praecedentia ſaepius a librariis in aliorum locum ſubſtituta eſſe, idque exemplis probat, quo referendum quoque opinor III. XXI. 26 ubi est *docte Epicure* et mox 28. *docte Menandre:* alterum Broukhuſius mutavit in *dux Epicure*, ſed melius alterum, quia *docte* ſalibus Menandreis, qui ibi memorantur, minus videtur convenire, ab Heinſio et Dorvillio mutatum est in *culte*. Verum et in his cauta utendum circumſpectione. Eadem fere cautio est verſuum leoninorum, quos vocant Grammatici, qui verſus, licet rariores, tamen poëtis optimis non

ſemper displicuerunt, quemadmodum docet Schraderus Emendatt. p. 105. Animadverti vero tales haberi verſus plurimos, qui revera non ſint. In quibus enim duae voces occurrunt, quarum binae ſyllabae postremae eundem ſonum habent, hos non ideo ſtatim rhythmicos fieri existimo. Multum differt, ubi voces illae legantur. Quodſi altera in fine, altera ſic locata est, ut in ea vox pronunciantis moretur, maximeque ſi cum penthemimeri deſinit, rhythmus ille existit inſuavis. Sin autem prius verbum ὁμοιοτέλευτον *alio loco, ubi nulla mora est, inſeritur*, citata vox legentis ſonum mox rediturum ſolet abſorbere et ſatis obſcurare, ne molestiam pariat auribus, ſicut Virg. Aen. IV. 260. *Aeneam fundantem arces et tecta novantem*, Hom. Il. B. 220. Ἔχθιστος δ' Ἀχιλλῆϊ μάλιστ' ἦν, ἦδ' Ὀδυσῆϊ. cf. 475. A. 70. Ceterum in istis ſonorum repercuſſionibus ne ſemper acquiescamus, vetat manifesta quorundam locorum depravatio, a librariis vel correctoribus, qui istiusmodi nugis delectabantur, illata, ex. c. III. VII. 42. *In mare cui ſoli non valuere doli*, pro *ſoliti*; eaque de cauſa conjeceram I. XVII. 5. *Quin etiam adverſi proſunt tibi, Cynthia, venti*, pro *abſenti*. Sed hoc tamen incertius est, quia vulgata lectio ſenſum exhibet probabilem, ideoque conjecturam illam minus neceſſariam neque in his Obſervationibus repetendam putavi.

Haec

Haec fere ſunt, quae elegantiſſimi poëtae interpreti praecipua eſſe exiſtimabam, quaeque partim a Broukhuſio, Burmanno, Schradero aliisque judicibus probatiſſimis fuere praeſcripta. Eadem tamen cum ſint ejusmodi, ut hi ipſi auctores a ſuis velut edictis nonnunquam discesſerint, non ego is ſum, qui ubique ea religioſe a me ſervata eſſe confidam, quamquam non infitior id me ſedulo curare voluiſſe.

Haec tu in rem tuam adhibe, fili cariſſime, quae, itemque reliquam hujus libelli ſylvam, ſi tibi legenti neque inutilia neque injucunda fuiſſe accepero, laetitiae meae, quam e ſtudiis tuis percipere ſoleo, magnus accedet cumulus. Cura, ut valeas.

Scripſi Harlemi d. XXVI Aprilis
a. CIↃIↃCCCXII.

INDEX OPUSCULORUM.

pag.

PROLUSIO DE ARGUMENTO ELEGIAE. 1

- - - - DE ORTU ET FORTUNA ACADEMIAE LINGENSIS. 27

- - - - DE SUMMO MOMENTO, QUOD MORES PRINCIPUM AFFERUNT AD MORES UNIVERSAE CIVITATIS CET. 37

ORATIO DE ACCURATA VETERUM AUCTORUM LECTIONE REIP. GERUNDAE STUDIOSO UTILISSIMA. 56

CARMINA VARII ARGUMENTI. 93

OBSERVATIONES CRITICAE IN HOMERI HYMNOS. 130

- - - - - - - - - IN CICERONEM. 154

OB-

INDEX.

OBSERVATIONES CRITICAE IN VIRGILIUM. 169

- - - - - - - - - - IN TIBULLUM. 174

- - - - - - - - - - IN PROPERTIUM. 188

UNIV. OF CALIFORNIA

PROLUSIO

DE ARGUMENTO ET NATURA OPTIMAQUE FORMA ELEGIAE,

Ad indicenda examinis et promotionis scholasticae sollemnia, in d. XIX *Jul. &* II *Sept. a.* CIↃIↃCCXCVI.

PROOEMIUM.

Solet de omnibus fere rebus iis, quarum existimatio in sensu gustuque pulcri versatur, maximum esse opinionum discrimen, controversia maxima. Quod quidem si paulo considerenus accuratius, fieri aliter non posse intelligimus, propterea quod sensus, qui in his supremus est judex, pro ingeniorum animorumque indole, habitu, cultuque diverso valde diversus est: unde fit, ut nec homines omnes, nec omni quidem tempore singuli, pulcris rerum imaginibus eodem modo afficiantur aut vi. Itaque mirum non est, uti de aliis hujusmodi rebus atque operibus, sive a natura sive ab arte profectis, quorum exempla vi-

deas paene quotidiana, ſic etiam de Elegiaca Romanorum poëſi, Tibulli dico, Propertii & Ovidii, tam diſtractas eſſe ſententias, aliis alii palmam adjudicantibus, nonnullis etiam aequalem inter omnes laudem partientibus 1). Cum vero idem ille ſenſus, ſive facultas de pulcro judicandi, quae cum mentis ratione & moribus arctiſſime plexumque conjuncta eſt, uſu & ſtudio dirigi poſſit mirificeque emendari, quo id, quod revera pulcrum eſt, a minus pulcro & ſpecioſo facilius rectiusque ſecernamus; ſequitur, ſpem omnem ad majorem in iſtis certitudinem perveniendi neutiquam decolâſſe. Imo magis magisque & haud contemnendo ſucceſſu in hac literarum parte elaborant Philoſophi: inter quos cum aliorum, tum Scholae Kantianae progreſſus feliciſſimi quotumquemque latent?

Si-

1) Multa exſtant clarorum virorum de his poëtis judicia diversa, editionibus Broukhuſianis & Burmannianis addita, quibus nulla equidem alia adjicio, niſi Abbat. Souchai in II. *discours ſur les Poëtes Elegiaques dans les Memoires des Inſcript. & belle Lettr.* Tom. VII., & Manſonis in *Nachtrage zu Sulzers Theorie der ſchönen Künſte* Vol. II. Part. I. p. 193., qui Tibullo primas deferunt; L. Santenii, Propertium in nota ad hujus Lib. IV. El. XI. vs. 59. principem Elegiographum vocantis; denique iſtius hominis eruditi, quem Hier. de Boſch in Differt. Belgica *de regulis Poeticae* p. 30. reliquis poëtis omnibus Ovidium longe praeferre memorat. Huc pertinent & ea, quae in *Praefat.*, *Carminibus Erotichii Sec.* praemiſſa, disputavit P. Burmannus Sec., qui ipſe exemplo Mureti nulli praeter ceteros videtur favere.

Siquis igitur poëtae alicujus merita rite ponderare velit, huic tria sunt inprimis tenenda. Videlicet in omni poëseos genere, sicut in alia quavis arte liberaliore, unum quoddam summumque perfectionis fastigium emicat, supra vel infra quod absolutissima ejus virtus nequeat consistere; quodque licet nemo poëtarum unquam attigerit, & sola mente teneamus 2), quodammodo tamen, derivatis ex optimo quoque exemplo, ipsaque & artis & animi humani natura praeceptis, indicari possit. Hanc pulcri, hanc artis perfectissimae velut normam, quantum possumus, primum indagemus, oportet, atque cognoscamus. Deinde, quia unicuique scriptori sua est & peculiaris quaedam sentiendi, imaginandi, cogitandi, scribendique ratio sive character

2) Juvenalis, dum poëtam perfectum describere conatur *Sat.* VII. vs. 56., haec addit: „ Qualem nequeo monstrare, & sentio tantum." Similiter Cicero *de* oratore perfecto in *Orat. Cap.* 2. „ Ju summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit. Non enim quaero, quis fuerit, sed quid sit illud, quo nihil possit esse praestantius. — Ego sic statuo nihil esse in ullo genere tam pulcrum, quo non pulcrius id sit, unde illud, ut ex ore aliquo, quasi imago, exprimatur, quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi potest: cogitatione tantum & mente complectimur." Cet. Conf. Cap. 3. 5. 7. 11. 28. 29. Hinc Imm. Kant in *Critik der Aesthetischen Urtheilskraft* §. 17. „ Das höchste Muster, das Urbild des Geschmacks, ist eine blosse Idee, die Jeder in sich selbst hervorbringen muss, und darnach er alles, was Object des Geschmacks, was Beyspiel der Beurtheilung durch Geschmack sey, und selbst den Geschmack von Jedermann beurtheilen muss."

racter 3), ſuaque, ut ita loquar, via, qua faſtigium illud artis ſuae tenere conetur, haec curioſe inquirenda eſt atque exploranda. Poſtremo autem utrorumque fieri contentio debet, & auctoris haec ratio ad illam artis normam exigenda eſt accuratisſime. Quod examen quicunque bene inſtituerit, huic tandem ſuo quemque aeſtimare pretio, & a recto tramite quis longius, quis propius deflexerit, ſtatuere licebit.

Adhibita hac velut accuratiore trutina trium etiam, quos memorabam, poëtarnm carmina, ſi rectum aliquod judicium aſſequi velimus, examinanda opinor eſſe. Cujus operae partem primam, qna natura & forma quaedam optima Elegiae explo-

3) Vid Cic de *Orat.* Lib. III. Cap. 7. 8. 9, ubi inter alia: „ ſi hoc," inquit, „ in his quaſi mutis artibus eſt mirandum, & tamen verum: quanto admirabilius in oratione atque in lingua? quae cum in iisdem ſententiis verbisque verſetur, ſummas habet diſſimilitudines. — Atque id primum in poëtis cerni licet, quam ſint inter ſeſe Ennius, Pacuvius Acciusque diſſimiles; quam apud Graecos Aeſchylus, Sophocles, Euripides." Cet. Eadem de orationis varia ſtructura obſervat Dionyſ. Halicarn. lib. *de orationis compoſit.* pag. 22. ed Sylb. *οἴομαι ἴδιον ἡμῶν ἑκάστῳ χαρακτῆρα, ὥσπερ ὄψεως, οὕτω καὶ συνθέσεως ὀνομάτων παρακολουθεῖν.* Quam rem dein illuſtrat facta comparatione cum pictoribus, qui iisdem omnes coloribus uſi, non eodem modo eos miſcent, miſcendoque reddunt diſſimillimos.

Ceterum quae ſint harum diſſimilitudinum cauſae, quae ratio cujusque characterem probe perſpiciendi, quaeque ex hoc ſtudio utilitates emanent, egregie docet Maaſz in *Nachträge zu Sulzers Theorie d. ſ. k.* Vol. III. Part. II. p. 221.

ploretur, examini Scholaſtico de more proluſurus, nunc aggredior; non quidem, ut novi quid aut praecipui me praeſtiturum putem, a qua jactatione abſum longiſſime, ſed ut ea, quae apud varios auctores de hac re probabiliora invenerim, cum poëticae tironibus communicem, & quomodo judicium acuant, pulcrique ſenſum emendent, propoſito aliquo commoneam exemplo. Hoc autem ut rite peragamus, principio nobis inquirendum eſt de argumento ſive materia hujus carminis propria, quippe ex qua univerſa ejus *natura maxime* cernatur.

I. *De argumento Elegiae.*

Nulla profecto exſiſteret de hac re quaeſtio, niſi apud ipſos auctores veteres tam diverſa argumenta Elegiaco conſcripta metro invenirentur. Fuere enim non modo, qui caſus moeſtos & funebres, amorisque curas 4), ſed etiam, qui exhortationes in bellum 5), ſententias morales, leges civiles 6), ſacrorum cerimonias 7), rerum geſta-

mur

4) Hos longa ſerie recenſuit Souchai in *Actis Academ. Pariſ.* l. l.

5) Hi fuerunt maxime Callinus ac Tyrtaeus, quorum carmina, quae quidem ſuperſunt, vide in Brunckii *Poëtis Gnomicis Graecis.*

6) Solon, Chilo, Pittacus, Periander, quos imitati ſunt Theo-

rum annales 8), quaestiones mathematicas 9), fabulas Aesopeas 10), alia, his numeris includerent.

ognis & Phocylides, praecepta, religionem, mores civitatemque spectantia, versibus Elegiacis mandarunt; e quibus praeter Solonis quaedam ac Theognidis fragmenta, ab eodem Brunckio emendatius edita, nihil nunc restat. Hipparchum etiam Pisistrati filium positis passim per Atticam Hermis versus gnomicos metro Elegiaco inscripsisse tradunt Plato in *Hipparcho*, Hesychius in vv. Ὑππάρχειοι Ἑρμαῖ, & Suidas in v. Ἑρμαῖ. Xenophanis Colophonii carmina ejusdem fere argumenti fuisse apparet ex fragmentis ab Athenaeo & Suida conservatis.

7) Huc referuntur Butae Ἀΐτια s. *Origines* rerum Romanarum fabulosae, unde Plutarchus distichon de Lupercalibus citat in *vita Romuli* Cap. XL; tum Fasti Ovidiani, quibus auctorem Ἀΐτια illa Butae imitatum esse conjicit Souchai l. l.

8) Callinus variorum temporum historias contexuisse videtur, ut inprimis colligi potest e Strabone, qui Lib XIII. p. 901. ed. Almelov. hunc primum ea, quae ad Teucrorum e Creta profectionem, & oraculum ab Apolline editum pertinerent, & Lib. XIV. p. 958. Magnetum contra Ephesios bellum prospere gestum, itemque Cimmeriorum in Asiam incursionem, captasque ab iis Sardes memorasse tradit. Mimnermus vero Smyrnaeorum bellum in Gygen Lydorum regem susceptum descripsit teste Pausania in Boeoticis, Lib. IX. Cap. 29. Simulus Romanorum res gestas carmine Elegiaco persecutus est, cujus aliquot versus affert Plut. in *vita Romuli* Cap. XXX.

9) Exstat Eratosthenis poëma Elegiacum *de duplicatione Cubi* apud Eutocium Ascalonitam in *Commentariis Archimedis*. Conf. *Advers.* Turnebi L. I. C. 19. Gyraldus *de Hist. Poët.* p. 165. & Souchai Op. laud. p. 362.

rent. Haec autem omnia in unum genus Elegiacum admittenda quis putet, nisi qui ad distinguenda carminum genera solum metri discrimen sufficere statuat? quod, quoniam nudo metro poësia non absolvitur, rectae rationi contrarium esset 11). Metrum, rythmus, congruentia (ea scilicet, quae inter vocum sonos ipsasque res descriptas percipitur) & alia hujusmodi ornamenta exteriorem duntaxat poëseos partem & quasi limbum efficiunt; cum quibus nisi simul ac praecipue naturam, & huic, nec non conditioni vel consilio poëtae, accom-

10) Hujusmodi fabulas Elegiae numeris explicavit Flav. Avianus, sed parum felici successu. Conf. Rumleri *Einleitung in die schön. Wissensch. nach Batteux* Vol. I. p. 322.

11) Hoc institutum jam reprehendit Aristoteles *Poëtic.* Cap. I. Πλὴν οἱ ἀνθρωποίγε συνάπτοντες τῷ μέτρῳ τὸ ποιεῖν, τοὺς μὲν ἐλεγοποιοὺς, τοὺς δὲ ἐποποιοὺς ὀνομάζουσιν, οὐχ ὡς κατὰ μίμησιν τοὺς ποιητὰς, ἀλλὰ κοινῇ κατὰ τὸ μέτρον προσαγορεύοντες. — Οὐδὲν δὲ κοινόν ἐστι Ὁμήρῳ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ, πλὴν τὸ μέτρον. δι' ὁ τὸν μὲν ποιητὴν δίκαιον καλεῖν· τὸν δὲ, φυσιολόγον μᾶλλον, ἢ ποιητήν. Probare enim vult Philosophus, non metrum, sed imitationem poëseos fundamentum statuendum esse.

Reprehendit etiam Herder in *Kritische Wälder I. Wäldchen* p. 32. ubi de Elegiaca poësi universa & in plura carminum genera diffusa agens, haec monet: „Niemand verstehe hier unter diesen Namen (Elegie) jenen hinkenden Affen, der sich nach unsern weisen Lehrbüchern der Poësie blofs im Sylbenmaas unterscheiden soll." Meliora igitur deinceps docuere cum alii, tum Eschenburg in *Entwurf einer Theorie und Litteratur der schönen Wissensch.* & Chr. Wilh. Snell in *Lehrbuch der Kritik des Geschmacks.*

commodatam tractationem argumentorum conſideraverimus, certum aliquod carmium genus conſtituere non licebit. Errabimus ſcilicet cum iis, qui accidentia cum ipſa eſſentia rerum confundunt. Quaro, cum poëſis univerſe ſit oratio ad phantaſiam ſollertiamque mentis oblectandam, & ſenſus atque affectiones animi cum voluptate movendas pulcerrima, perſpicuum eſt, horum maxime in diſcernendis generibus rationem habendam; tum quia unumquodque genus omnes illas animi partes plerumque tractare ſolet, videndum eſſe, quaenam pars prae ceteris occupetur, quaeque iſtarum affectionum ſit indoles, quae vis. Haec animadvertentibus patebit, de ſententia Robortelli 12) quid ſit cogitandum, qui, omiſſis reliquis argumentis praeter luctum & bellum, duas Elegiae ſpecies ſtatuebat, bellicam alteram, alteram flebilem. At vide, quaeſo, quam hoc ſit idem, ac ſi *Jungantur jam gryphes equis.* Carmina enim bellica ad inflammandos in praelium animos compoſita, quae natura vehementia ſunt atque incitata, qua tandem ratione cum lento lugentium afflictorumque gemitu aut mollibus amantium querelis conciliabimus? Materiae tam diverſae longe diverſos animi motus provocant, longe diverſam tractationem requirunt. Nimirum poëta, cui milites in pugnam ex-

12) In *commentar. ad poët. Ariſtot.*

excitare consilium est, id agit, ut animum iis magnum & elatum insinuet, persuadeatque vitam rem esse vilem & prae amicorum cognatorumque & universae reipublicae salute parvi putandam. Vividis velut coloribus ignaviae dedecus, & quaecunque eam subsequuntur mala, cladem, exilium, mendicitatem depingit; iisque fortitudinis gloriam ac splendorem bonorum omnium existimatione, triumphorum magnificentia & immortalibus posterorum praeconiis condecorandam, ut in tabulis umbrae lumen, opponit. *Denique contendit neminem, quocunque est laudis genere conspicuus,* omnes boni civis numeros continere, nisi idem, siquando hostes invaserint, bellicam in eos virtutem heroösque animos exserat. Ita Callinus, Tyrtaeus 13), alii, hanc materiam ornarunt. Quae omnia dum agit poëta, animum & ipse prodit fortem atque excelsum. Itaque affectio, quae in his carminibus regnat, cupido est vin-

13) Monere hoc loco mihi liceat, falsissimum videri Pauwii de carminibus Tyrtaei judicium in *Recherches Philosophiques sur les Grecs* Tom. II. p. 294. „ Les leçons de Tyrtée degenerent en des préceptes plus propres a former des betes carnassieres, que des heros: il n'y parle que de grincemens de dents, de grands coups de lance, d'un deluge de sang & de mille morts, plutot que d'un seul pas fait en arriere. On tremble en lisant des poësies si meurtrieres." Quae omnia praeter veritatem exaggerata esse unusquisque, carminibus illis vel leviter percursis, intelliget. Locus, quem ille inter alia respicit, sic se habet:

vincendi & fortitudo masçula, Stoïco quodam vitae contemtu, amore gloriae, caritate patriae & propinquorum nutrita, quae cuncta necessario animum impellunt vehementissime, & velut in altum efferunt. Contra ea siquis vel gravem reipublicae casum, vel alicujus propinqui aut amici mortem acerbam aliasve aerumnas deflet, huic mens afflic-

Ἀλλὰ τις εὖ διαβὰς μενέτω, ποσὶν ἀμφοτέροισι
Στιμιχθὶς ἐπὶ γῆς, χείλος ὀδοῦσι δακὼν.

Vertente Grotio:

„ Sed bene progressus miles pede calcet utroque
Tellurem, & labrum dente premat tacito."

Ubi vides labrum dentibus pressum, qui magnopere contendentium habitus esse solet, (apud Homerum paventium quoque & consternatorum Od. A. 381 & Σ 409. cf. Eustath.) non autem ferum & horribilem dentium stridorem, qui nusquam in his poëmatibus occurrrit, quemque igitur ubique deprehendere sibi videri Philosophum merito mireris. Reliqua similiter in pejus adaucta sunt. Unde justa nascitur suspicio, eum, ut de Lacedaemoniorum fama, quibus & in aliis omnibus iniquior est, detraheret, plaecturis illis antiquae artis reliquiis temere abusum esse. Itaque audiamus potius Platonem, qui in *Dial. I. de legibus*, licet civi bellicoso, a Tyrtaeo summis laudibus elato eum, qui in turbis civilibus fidum se praestet, praeferendum judicet, tamen poëtam eum plane divinum appellat, virumque bonum ac sapientem, qui pulcram illam virtutem bellicam digne & opportune laudaverit.

Merito etiam poëtae nomen ornavit Barthelemy, *Voyage du Jeune Anach.* Tom. III. p. 134. & 138.

flicta esse solet ac debilitata, quam non ante indicat oratione & querelis, quam ex gravissimo dolore jam paulisper se recepit; ita ut ipsa tristitiae significatione consolationem quaerat 14). Ergo in hoc affectum videmus paulo sedatiorem, & ex moestitia & voluptate quadam mixtum; cujus generis sensus ita natura comparati sunt, ut altius quidem animum penetrare videantur, eique inhaereant pertinacius, non autem efferveſcant cum vehementia 15). Ad quod affectionum genus illae quoque referendae sunt, *quibus amantes vexantur non in ipso amoris furore ac recenti desperatione, quae mentem nimis perturbant*; sed quum ad cantandos aestus illos satis est animi, quum modo absentis puellae desiderio, modo metu & viciſſim spe, modo aliis curis ac sollicitudinibus cum amore conjunctis jactati, quérendo aliquod sibi petunt moleſtiarum levamen. Jam vero animadverte, *hi duo*, & *qui dolore afficitur*, & qui mares in praesium dat animos, quam diverſis regantur affectibus. Alter elato est animo, alter fracto; alter fervido ac turbulento, sedatiore alter. Quam ob causam,

14) Vid. Mendelsohn, *Philosophische Schriften* Part. II. p. 44. 45. 46.

15) De his affectibus legantur idem Mendelsohn ibid. p. 10. 12. 48. 29 32. seqq. Eberhard, *Theorie des Denkens und Empfindens* p. 49. 116. 120. 158. 160. seqq. 206. 241. & Herz, *Versuch über den Geſchmack und die Urſachen ſeiner Verſchiedenheit* p. 69. 105.

ſi in poëmatum generibus deſcribendis diviſionis fundamentum e ſenſuum affectuumque diverſitate recte petimus, quo nihil poëſeos naturae videtur convenientius, manifeſtum eſt, ſenſus & affectus adeo diſcrepantes in unum idemque genus recipi non poſſe, atque adeo, cum carmina bellica a funebribus & amatoriis revera differant, vel haec vel illa ad veram elegiam non pertinere. Quoniam vero utrumque carminum genus metro elegiaco compoſitum reperitur, videamus nunc, utri proprius hic ſit numerus, nomenque Elegiae utri imponendum.

Quemadmodum enim, uti ſupra monebam, e ſolo metri diſcrimine poëſeos facere genera, abſurdum eſt; ita nihilo ſanius foret, metrum plane arbitrarium habere, tanquam ſi numeri omnes omni materiae applicari recte poſſent. Metrum nempe petitum eſt e re muſica, cum qua poëſi praeſertim omnique orationi naturalis & propinqua eſt cognatio. Animadvertimus enim, homines, dum loquuntur, pro rerum, de quibus agunt, varia natura variisque affectibus, quibus agitantur, vocem modo attollere, modo deprimere, & modo lentius, modo citius pronunciare; ut pateat, ipſam naturam inter ſenſus motionesque animi & modum orationis, qua ea declaramus, admirabilem quendam ſtatuiſſe concentum, 16). Unde praecla-

16) Vid. Cic. *de Orat.* Lib. III. Cap. 48. 57. 58. Ubi C. 57. Qm-

clara illa Muſicae virtus exſtitit, quae eo valet, ut cum ſonorum varietate, tum menſura & rythmo ad varios ſive laetitiae ſive moeroris, ſive irae ſive lenitatis, ſive vindictae ſive miſerationis, ſive ſerii, ſive ludi, ſive gravitatis ſive ridiculi alioſque ſenſus recipiendos animum invitet 17). Quae cum ita ſint, quis eſt, qui non perſpiciat, poëſi, cujus eſt, humanos animos orationis ope, quoad ejus

„ Omnis," ait, „ motus animi ſuum quendam a natura habet vultum, & ſonum, & geſtum: totumque corpus hominis, & ejus omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita ſonant, ut a motu animi quoque ſunt pulſae. Nam voces, ut chordae ſunt intentae, quae ad quemque tactum reſpondeant; acuta, gravis," cet. Conf. idem in *Orat.* Cap. 17. Idem obſervat Dion. Halicarn. *de Orationis Structura* p. 20. Mendelſohn *Philoſ. Schrift.* Part. II. p. 138. & Hier. van Alphen *Digtkundige Verhandelingen inleid.* p. 73. 74.

17) Kant. *Critik der Aeſthet. Urtheilskraft* p. 216. ſeqq. „ Der Reitz der Tonkunſt, der ſich ſo allgemein mittheilen läſt, ſcheint darauf zu beruhen, daſs jeder Ausdruck der Sprache im Zuſammenhange einen Ton hat, der dem Sinne deſſelben angemeſſen iſt; daſs dieſer Ton mehr oder weniger einen Affect des Sprechenden bezeichnet, und gegenſeitig auch im Hörenden hervorbringt, der denn in dieſem umgekehrt auch die Idee erregt, die in der Sprache mit ſolchem Tone ausgedrückt wird, und daſs, ſo wie die Modulation gleichſam eine allgemeine jedem Menſchen verſtändliche Sprache der Empfindungen iſt, die Tonkunſt dieſe für ſich allein in ihrem ganzen Nachdrucke, nämlich als Sprache der Affecten ausübe, und ſo, nach dem Geſetze der Aſſociation die damit natürlicherweiſe verbundene Aeſthetiſche Ideen allgemein mittheile."

ejus fieri poſſit oblectare, poëſi, inquam, quam cum & quam paratum e muſica voluptatis momentum addatur? id quod bene ſenſerunt antiqui, quibus principio omnis poëſis cum cantu fuit conjuncta 18), imo ipſa etiam perorandi ratio, licet ſerius, & vocum ſono & numero ad muſicam propi-

18) Cic. *de Orat.* Lib. III. Cap. 44. „Haec duo muſici, qui erant quondam iidem poëtae, machinati ad voluptatem ſunt, verſum atque cantum, ut & verborum numero & vocum modo delectatione vincerent aurium ſatietatem." Quo loco, ut obiter hoc moneam, vox *delectatione* non quadrat, meritoque ſuſpecta fuit Erneſtio: legendum arbitror *delicatierem*, quod optime convenit *aurium ſatietati*, quippe „quarum judicium eſt ſuperbiſſimum," ut habet idem in *Orat.* Cap. 44. Similiter hac voce utitur Lib. I. *de Fin.* Cap. 2. „Rudem eſſe omnino in noſtris poëtis aut inertiſſimae ſegnitiae eſt, aut faſtidii delicatiſſimi." Porro poëtas olim verſibus, ut canerentur, modos quosdam addidiſſe, & ſua aliorumque carmina ceniniſſe memorat etiam Plut. *de Muſica*, init. Conf. Quinctilianus *Inſtit. Orat.* Lib. I. Cap. 10. Hinc ἀοιδὸς *cantor* idem qui poëta, vid. Heſychius.

Igitur poëmatum ad citharam cantus ad puerorum inſtitutionem liberaliorem quoque pertinuit. v. Plato in *Protagora*, Operum Tom. I. p. 325. edit. Serrani. Imo idem philoſophus *dial* X. *de Rep.* carmina muſicae ſuavitate ac gratia deſtituta comparat cum ejusmodi hominum vultibus, qui amiſſo juventutis flore ſimul omnem amittunt pulcritudinem.

Apud Hebraeos iidem & privatim & in ſacris publicis poëſin cum muſica copulatam fuiſſe teſtantur cum pſalmi, tum alia quaedam monimenta in ſacro codice paſſim obvia, velut hymnus ille, quem Israëlitae, inſequentis regis Aegyptii minis liberati, cecinere, Exod. Cap. XV. vs. 1-21. & quem Debora & Baracus devicto Cananaeorum rege Jabine; vid. Judicum Cap. V.

plus acceſſit 19). Itaque metra, ſi ad ipſam originem reſpicimus, nihil aliud erant, niſi certae quaedam menſurae, ſyllabarum brevium longarumque varia junctura deſignatae, certisque aptatae modulationibus, quae juvandis augendisque animi motibus, carmine expreſſis, inſervirent 20). Atque ita pro ſenſuum affectuumque diverſitate diverſa provenere metra; quorum variam virtutem & is, qui aurium judicio non deſtituitur, commode diſcernit, & veteres quoque nos docent. Inter quos Ariſtoteles memorat, cum initio ſatyrica magisque ſaltatoria eſſet poëſis tragica, huic conveniſſe trochaïcum; poſtea vero, cum tragoedia dignitatem ſuam ac ſplendorem nacta eſſet, metrum quoque ipſa natura monſtrante convenientius inventum eſſe iambicum 21). Male

19) Cic. in *Orat.* Cap. 18. „ Eſt in dicendo etiam quidam *cantus obscurior*, non hic e *Phrygia* & Caria rhetorum epilogus, paene canticum: ſed ille, quem ſignificat Demoſthenes & Aeſchines, cum alter alteri objicit vocis flexiones." & Cap. 20. „ Etiam poëtae quaeſtionem attulerunt, quidnam eſſet illud, quo ipſi differrent ab oratoribus: numero maxime videbantur antea & verſu: nunc apud oratores jam ipſe numerus increbuit." Cf. idem *de Orat.* Lib. III. Cap 44. unde, ut & ex Bruto Cap. 8, patet primum ab Iſocrate modum hunc & numerum excultum eſſe.

20) Vid. imprimis Barthelemy *Voyage du jeune Anach.* Tom. II p. 288-292. Tom. V. p. 232.

21) De *Poët.* Cap. IV. p. 32. ed. Harles.

ledictis etiam atque irae exprimendae hoc metrum, ut concitatius, peridoneum esse ac sua sponte quasi accessisse jam antea monuerat 22). Hexametrum vero sedatum prae ceteris elatumque praedicat 23). Similia Cicero 24), Horatius 25), Dionysius Ha-

22) Ibid. p. 16.

23) Ibid. & Cap. XXIV. p. 184. Τὸ ἡρωικὸν σεμνότατον καὶ ὀγκωδέστατον τῶν μέτρων ἐστί. — τὸ δὲ ἰαμβικὸν καὶ τετράμετρον (trochaïcum) κινητικὸν· τὸ μὲν, ὀρχηστικόν· τὸ δὲ, πρακτικόν. Spondeis quidem summam inesse gravitatem ac moderationem perspicuum est ex eo, quod refert Quinctilianus *Instit. Orat.* Lib. I Cap. X. „ Pythagoram accepimus concitatos ad vim pudicae domui afferendam juvenes, jussa mutare in sponeum modos tibicina, composuisse." Conf. ibi virorum doctorum notae.

24) *De Orat.* Cap. 48. *Orat.* Cap. 57. 58. 64.

25) *Art. Poët.* vs 73. seqq. Ubi vs. 79.

„ Archilochum proprio rabies armavit iambo."

Cujus loci triplex est interpretatio: vulgo quidem *proprio* refertur ad Archilochum, tanquam inventorem iambi, quod & alii inter veteres putárunt, ut Ovidius in Ibid. vs 523. & Vell. Paterculus Hist. Lib. I. Cap. V.; sed refelluntur ab Aristotele *de Poët.* Cap IV. docente, Homerum & probabiliter ante eum jam multos iambis usos esse. Gyraldus quidem *de Hist. Poëtar.* p. 452. Horatium Ovidiumque ita excusat, ut iambum, qui antea aliis rebus aptus fuisset, ab Archilocho primum pugnacem, i. e. criminosum, factum esse statuat; sed hoc Aristotelis verbis l. c. itidem repugnat. Itaque alii, Ho-

Halicarnaſſeus 26), Quinctilianus 27), alii. Anapaeſtorum quoque vis & gravitas, quam laudat idem Dionyſius, apud Lacedaemonios quantum ad animorum moderationem in praeliis valuerit, auctores tradidere non pauci 28). De reliquis nunc non

Horatium errore illo liberare cupientes, *iambum* ceperunt pro *convicio*, ut hoc Archilochi proprium fuiſſe dixerit. Ita intelligit Harles ad Ariſt. *de Poët.* l. c. not. 3. Cui tamen explicationi cum hoc obſtet, quod Horatius toto hoc loco de variis metris eorumque uſu loquatur, *atque adeo per Iambum quoque intelligendum ſit metrum*, magis mihi placet eorum ratio, qui *proprio* referunt ad *rabiei*, numerumque Iambicum rabiei ſ. irae deſignandae proprium ab Horatio dici exiſtimant; quod praeterea Ariſtotelis ſententiae plane congruum eſt. Cf. Eſchenburg *not. ad Horat. l. c.*, *in Obſervatt. verſioni Comment. Hurdiani adjectis.*

26) *De orat. ſtruct.* p. 16.

27) *Inſtit. Orat.* Lib. IX. Cap. IV.

28) Nonnulli quidem anapaeſtis pedibus factam eſſe cohortationem crediderunt, velut Cic. *Tuſc. Quaeſt.* Lib. II. Cap. 16. & Val. Maximus Lib. II. Cap. VI. ex 2. Gravior autem videtur auctoritas Thucydidis, ex quo Gellius *Noct. Attic.* Lib. I. Cap. 9. refert „ Lacedaemonios tibiarum modulis uſos eſſe, non ut excitarentur atque evibrarentur animi; ſed ut moderatiores modulatioresque fierent" Idem tradit Plut. *de ira cohibenda* Cap. 18. Unde iterum refutari poteſt Pauwius, Op. laud. Tom. II. p. 332. ſcribens: „ les vers (anapeſtiques) de Sophron, de Spendon & de Tyrtée, entretenoient dans l'ame des Lacedémoniens un caractere vindicatif & atroce."

non inquiro numeris, quorum diſcrimina ſiquis attente velit perpendere, profecto is non exiguum cum argumentorum natura concentum in iis deprehendat. Unde non temere jam conficimus, metro elegiaco, perinde ac ceteris, ſuum fuiſſe argumentorum genus. Quod quidem quale fuerit, ex ipſis Elegiae principiis, ſi prima hujus generis carmina ad noſtram usque aetatem ſalva perveniſſent, optime, opinor, intelligi poſſet. Vero enim ſimillimum eſt, ipſo initio ſingula argumenta ſuis numeris & aſſignata & religioſius conſervata fuiſſe, a qua ratione poſteriores libidinis variandive gratia deflexerint 29). Cum vero carminis origo prorſus lateat 30), & ſuperſtites vete-

29) Vid. Hurd ad Horat. *Poët.* vs. 73-86., quibus verſibus, ſecundum verſionem Eſchenburgii, hunc ineſſe ſenſum ſcribit: „daſs die mancherley Dichtungsarten von einander weſentlich verſchieden ſind; wie man nicht bloſs aus ihren verſchiedenen Subjecten, ſondern auch aus dem Unterſchiede ihres Sylbenmaſſes ſchlieſſen kann, welches der gute Geſchmack, und eine Aufmerkſamkeit auf die beſondern Eigenſchaften einer jeden, ihren groſsen Erfindern und Meiſtern zu brauchen anrieth."

30) Latebat jam temporibus Horatii & Plutarchi. Vid. hujus lib. *de Muſica* Cap. 26. & illius *Poët.* vs. 77, 78.

„Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt."

Neque poſteriores litem diremerunt. Varias veterum Grammaticorum ſententias redarguit Souchai Op. laud. p. 340. & alibi; unde liquet Callinum, antiquiſſimum quidem elegio-

gra-

terum elegiae atque elegiarum fragmenta, quod ante jam indicavi, magnam argumentorum varietatem exhibeant; hinc quidem nulla lux speranda est. At complures tamen sunt causae, quamobrem non cohortationes in pugnam, neque cetera, sed universe res tristes & miseras Elegiae proprias esse statuamus.

Ut omittam, ipsum carminis nomen antiquissimum secundum derivationem probabiliorem lugubre argumentum ostendere 31); tum etiam exsti-

tit.

graphorum, quorum nomina ad nos pervenerint, non vero auctorem Elegiae habendum esse. Cum autem vetustissimi hujus generis poëtae fuerint Jones, velut Callinus & Mimnermus, forsan inde colligere liceat, uti hexametrum, sic etiam pentametrum, qui nihil aliud est nisi hexameter uno pede minor, Jonicae esse inventionis; quod observavit Frid. Schlegel de *Scholiis poëseos Graecae* in *Berlin. Monatschrift* Nov. 1794. Perperam igitur Winkelmann, *Geschichte der Kunst* part. II. p. 636. Elegiae reperto em agnoscit Simonidem, neque melius Mimnermum Jo. Schröck, *Einleitung zur Universalhistorie* p. 153.; qui ibidem & Iambi inventionem Archilocho non bene tribuit.

Manso autem *de Poëtis Elegiographis Romanis* in *Nachträge zu Sulzers Allgem. Theor. der schönen K.* Vol. II. part. I. p. 191. cum Gyraldum Vossiumque reprehendit, quasi Terpandro inventionis laudem temere imperiverint, fallitur: etenim ii aliorum tantum sententias referunt, ipsi vero nihil pronunciant. Vid. Gyrald. *de Poët.* p. 43. 160. 447., Voss. *Instit. Poët.* Lib. III. p. 50.

31) Sive enim cum Didymo, quem Vossius & Souchai sequuntur,

tisse plures, qui calamitates vel publicas vel privatas elegiis memorarent, quam qui alia 32), ut haec omittam, non defuerunt etiam, qui, licet alio genere celebritatem assecuti, ut res miserabiles digne concinerent, modis elegiacis uterentur. In hoc numero fuere Archilochus & Euripides; quorum ille in Lycamben quidem pugnacibus iambis invectus est 33), publicum vero civitatis malum 34) exstinctumque naufragio sororis maritum elegiis 35) deflevit; hic autem in Tragoedia, iambis ceteroquin conscripta, Andromachae gravi dolore oppressae, Thetidisque simulacrum amplectenti, versus tribuit elegiacos 36): quod, nisi Elegiae praecipuam vim inesse ad dolorem putasset, neuter utique fecisset 37). Addo etiam hoc, ipsos auc-

tur, nomen ἔλεγος & ἐλεγεῖα derivemus ab ἐλεγεῖν, *epulari*, sive cum Everh. Scheidio ad Lennep. Etymolog. linguae Gr. aliisque ab ἐλεεῖν *misereri*, utrumque etymon tristitiae habet significationem. Reliquas derivationes minus probabiles vide apud Gyraldum *de Hist. Poët.* p. 41. & Souchai Op. laud. Tom. VII. p. 336.

32) Adi Elegiographorum recensum apud Souchai l. l.

33) Notum ex Horat. *Epist.* Lib. I. *epist.* 19. vs. 24. 25.

34) Hujus elegiae fragmentum exstat apud Stobaeum *Serm.* 278. p. 897. ed. Wechel.

35) Hujus carminis meminit Plut. *de Aud. Poët.* Cap. V.

36) Eurip. *Andromach.* vs. 103-116.

37) Eandem ob causam Ovidius Sappho ad Phaonem scribenti haec verba tribuit vs. 5.

„ For-

auctores antiquos Elegiam vocaſſe *flebilem*; neque propterea tantum, quod luctum funebrem 38), ſed anxias quoque amoris curas ac ſollicitudines complecteretur 39). Quarum rerum tanta eſt vicinitas, ut ad hanc ab illa tranſitus fuerit facillimus ac proclivis 40). Etenim, ut apud Maronem eſt:

Nec lacrymis crudelis Amor, nec gramina rivis,
Nec cytiſo ſaturantur apes, cet.

Imo, quoniam ille amor mille dolendi cauſas, continuas ſpei metusque viciſſitudines, modo facilem auram, modo atram tempeſtatem ſolet afferre, praeſtantiſſimi clariſſimique elegiographi, tam Graeci, quam Latini, quod profecto in hac quaeſtione non levis momenti eſt, in amoribus ſcribendis potiſſimum, ne dicam, unice, operam ſuam ac ſtudium

„Forſitan & quare mea ſint alterna, requiras,
Carmina; cum Lyricis ſim magis apta modis.
Elegus amor meus eſt: Elegeia flebile carmen.
Non facit ad lacrymas barbitos ulla meas."

38) Ex. gr. Ovidius *Amor.* Lib. III. El. 9. vs. 34.

39) Cernitur hoc ex Horat. *Odar.* Lib. I. *Od.* 33. *ad Tibullum*:
„Albi, ne doleas plus nimio memor
Immitis Glycerae, neu miſerabiles
Decantes elegos, cur tibi junior
Laeſa praeniteat fide."
Item ex Sapphus verbis modo allegatis apud Ovid.

40) Primum hunc tranſitum a Mimnermo factum eſſe conjicit Souchai laud. Op. Tom. VII. p. 340.

um collocârunt. Quodſi verò apud hos laetiora interdum argumenta occurrunt, haec cum reliquis amantium fatis arctiſſime ſunt conjuncta; neque inde conficiendum eſt, quod Marmontelius 41), aliique perperam fecerunt, promiſcue omnia laeta & jucunda Elegiis recte poſſe cantari. Itaque ex his rebus, amatoriis dico, *molles* etiam, *tenues*, *exigui*, & *leves* a veteribus nominantur Elegi; quae omnis ſane indolem deſignant ab armorum vi & impetu longiſſime abhorrentem. Denique, (nam & hoc non leve eſſe argumentum e praecedentibus patet), ipſe pentametri numerus, qui ſe-

41) *Poëtique Françoiſe* Tom. II. p. 205. ſeqq. Ubi auctor tria facit Elegiae genera, unum vehemens & affectibus plenum, alterum tenerum, tertiumque jucundum. Scilicet genus Elegiae, quod, a luctu & amoris vicibus alternis prorſus ſevocatum, nihil niſi jucunda ſectetur, vere elegiacum non eſt, uti ex omni noſtra diſputatione ſatis elucet. Conf. Eſchenburgii *Entwurf einer Theorie und Literatur der ſchönen Wiſſenſch.* p. 141. ed. noviſſ. Ergo melius rem expoſuit Boileau *Art Poët. Chant. II.*

„ D'un ton un peu plus haut, mais pourtant ſans audace,
La plaintive Elegie, en longs habits de deuil,
Sçait, les cheveux epars, gemir ſur un cercueil.
Elle peint des amants la joie & la triſteſſe;
Flatte, menace, irrite, appaiſe une maitreſſe,
Mais pour bien exprimer ces caprices heureux,
C'eſt peu d'etre poëte; il faut etre amoureux."

Quae inſervire poſſunt illuſtrando Horatii loco *Art. Poët.* vs. 75.

„ Verſibus impariter junctis querimonia primum,
Poſt etiam inclusa eſt voci ſententia compos."

severiorem hexametri modum instringit ac temperat, laudatis materiis aptissime congruere videtur. Habet enim, ad mecum utique sensum, nescio quid suavitatis ac mollitiae, & praesertim cum in vocem plurium syllabarum desinit, ad exprimendum dolorem lentum & longos gemitus, tum ad movendos trahendosque miseratione animos jucundissimus est 42). Idem ipsi veteres declarant, ut Ovidius, cujus notissima sunt illa:

Venit odoratis Elegeia nexa capillis,
Et, puto, pes illi longior alter erat.
Forma decens, vestis tenuissima, vultus amantis:
In pedibus vitium causa decoris erat.

Quae omnia cum sic se habeant, nullum esse dubium existimo, quin carmina Callini ac Tyrtaei bellica, quamvis metro elegiaco constructa, vere & proprie tamen Elegiae dici nequeant. Nec aliter judicandum opinor de iis carminibus, quibus sacra, leges, & quae plura initio memoravi, exposita sunt; quarum rerum descriptiones non, quod ad genus elegiacum revera pertinerent, sed, quod for-

42) De pentametri artificio videatur imprimis Burmannus tom. in praefat. ad Carmina Leichii &c. p. 6—16. Praeter exempla ibi allata, quae id, quod de polysyllabis in fine pentametri observavi, probent, insigne etiam est hoc Ovidii, qui alias raro polysyllabis utitur, Fast. Lib. VI. vs. 660.

„ Cantabat fanis, cantabat tibia ludis:
Cantabat moestis tibia funeribus."

Conf. Trist. Lib. III. El. V. vs. 40. El. X. vs. 4.

forsan istis numeris maxime delectarentur auctores, ad Elegiae formam compositae videntur.

Constare igitur puto, & satis evidenter me probâsse: primum unicuique poëmatum generi argumenta esse certa & propria, propriosque fere versuum numeros; deinde veram Elegiam universe, in tractatione rerum tristium ac miserabilium, sive eas fatum aut fortuna gravis, sive amor attulerit, consistere ac velut habitare. Quae vero de hujus carminis natura optimaque forma dicenda sunt amplius, ea, ne taedio nunc sim, in aliud tempus differre malo.

Scr. Lingae d. XI Jul. CIↃIↃCCXCVI.

✤

Post editam hanc commentationem duas ab ea, quam asserere conabar, diversas accepi doctorum virorum sententias, alteram Heynii, Professoris Gottingensis celeberrimi, qui suam propositae quaestionis expediendae rationem perhumanis mihi literis exposuit. „Faciliorem", inquit, „viam ingressus sum. Distinguo a genere elegiaco metrum, quod huic generi saepissime fuit adjunctum. Metrum, alternis versibus hexametris & pentametris constans, fuit antiquius & omnibus argumentis aptatum. Brevibus sententiis moralibus sensibusque animi, qui haud longos orationis orbes requirerent, idoneum videbatur. Ab Alexandrinis de-

demum ſenſibus maxime & affectionibus animi mitioribus dicatum eſt, amori praeſertim ac dolori, & ab hoc tum primum nomen accepit *Elegiae*. Solon non ſcripſit Elegias, neque quisquam, quantum ſcio, ante Philetam & Callimachum. Antiquiores ſcribebant carmine, ſ. metro elegiaco, etiam tum ſi moeſta ſcriberent, velut Mimnermus." Alterum protulit auctor diſſertationis de inventione tibiae Marſyaeque ſupplicio in Muſeo Attico Wielandii Vol. 1. Part. 2. p. 335. ſqq. Hic arbitratur inventum eſſe ab *Jonibus pentametrum*, *postquam tibiam bellicam Lydorum duplicem cognoscere coepisſent*, primumque metri elegiaci *uſum carminibus bellicis* inſerviiſſe, quam primam vocat pentametri aetatem; alterum incipere ſtatuit à Mimnermo, qui tibiae & pentametro ſuo mitiores ſenſus, praeſertim amoris, accommodaret; tertiam denique a Simonide, qui hoc metro *nenias* & *ſimilia* conſcriberet, ac tum primum ortum eſſe nomen ἐλεγεῖον.

Quam difficile ſit, de hac cauſa, non dico certum judicium, ſed probabilem aliquam opinionem afferre, pulcre ſenſi in elaborando. Ita ſententias, modo a me relatas, quod pace dicam virorum clariſſimorum, quamvis utramque ſpecioſam, ſuis amen difficultatibus laborare perſpicuum eſt ex iis, quae ſuper hac materia diſputavi. Ad priorem quod attinet, num opinari licet, ad omnia argumenta nullo discrimine adhibitum fuiſſe metrum

elegiacum, siquidem pag. 18. recta ratione argumentati sumus, unicuique metro suum certumque inesse characterem, & a suo quodque inventore certo argumentorum generi fuisse asignatum? Posteriorem vero, quae dicit, ad incitandam fortitudinem bellicam inventum esse pentametrum, quibus rationibus probabis, ut nostrae praeferatur, cum in antiquissimis elegiographis non modo Callimus ac Tyrtaeus numerentur, sed Archilochus quoque, Tyrtaeo saltem superior, quem, res miseras tractantem, dedita opera numeris usum esse elegiacis demonstravimus pag. 20? Ex Archilochi aliisque exemplis nonne pari jure suspicari posumus, jam tum, vel antea quoque, exstitisse plures qui & re & nomine Elegias componerent?

PRO-

PROLUSIO

DE ORTU ET FORTUNA ACADEMIAE LINGENSIS,

Ad sacra hujus Academiae saecularia d. VII *Novembris a.* CIↃIↃCCXCVII. *rite celebranda.*

Innumeris sane supremi Numinis beneficiis ac muneribus laetamur mortales: quidquid jucundi, quidquid boni vel egregii nobis evenit, id uni Deo opt. max. acceptum referimus. Verum inter haec omnia, quicunque supra vulgus sapit, nihil habet excellentius ac divinius, quam virtutem & praeclara ingenii bona. Haec immortalia, haec aeternae felicitatis fons uberrimus; cetera fluxa atque caduca. Licet enim hic divitiis opibusque immensis, ille imperio & amplis honoribus, alii denique aliis rebus glorientur; quam ista nihil sunt sine virtute & sapientia! Quibus quicunque animum gerit instructum ornatumque, non in hoc terrestri pulvere iners moratur; velut alis assumtis in coelum evolat, Deique & rationis audit consilia; Deum factorum suorum judicem supremum ac justissimum, sanctaeque ac sempiternae laetitiae datorem

rem agnoscit & praedicat; huic si placeat, de reliquis parum est sollicitus; hujus voluntatem ac gloriam nunquam non ante oculos sibi proponit. Itaque in studiis suis ac rebus omnibus id semper agit, ut ceteris hominibus, quantum vires sinant, prosit. Sive recti honestique tramitem rectamque Dei colendi rationem accuratius perquirit; sive quid jus, quid aequum, tanquam trutina examinat; sive humani corporis naturam morborumque causas & remedia scrutatur; sive, quae cuique rei insit natura, investigat; terramve & mare metitur, vel siderum volubiles cursus observat; aut alias denique artes ac scientias assiduo sibi studio comparat: haec omnia vel singula dum tractat, nihil nisi humanae societatis commodum Deique voluntatem spectat sanctissimam, qua sola suam felicitatem contineri persuasissimum illi est. Quantacunque igitur istarum rerum copia penum ornaverit, hanc ita demum promit ac dispensat, ut quocunque accedat, solatium, salutem & gaudium afferat. O egregios, o admirabiles virtutis ac scientiarum fructus! Felix, felix praedicanda est ea civitas, in qua illae aluntur, foventur, amplificantur! Felix inter alias & Linga nostra, ubi literae cultiores laeto adhuc flore nitent!

Quidni ergo, cum annis vertentibus saeculum jam effluxerit ex eo tempore, quo prima hujus Athenaei illustris fundamenta jacerentur, bonis tamen artibus ac disciplinis suus honor etiamnum con-

conſtet, quidni, inquam, cives mei, natalem hunc ſaecularem piis votis, pompa ſollemni, omnique laetitia celebremus? Nempe habet hoc tempus nescio quid ſacri atque verendi, ſiquidem in mentem nobis revocat multa, quae animum inſolito gaudio perfundant, & ad venerandum Numen beneficentisſimum impellant. Quodſi enim in tempora remotiora oculos retorquemus, eaque cum noſtris comparamus, quantam illic caliginem, quantum hic nitorem conſpicimus! Primum autem Principes Arauſionenſes, cum *Comitatum Lingenſem hereditatis jure conſecuti eſſent* 1), accenſa emendatae religionis luce laetiorem huic civitati faciem *conciliaverunt*. Inprimis Guilielmo Tertio, Magnae Britanniae Regi Glorioſisſimo, immortales gratias & nunc cum maxime animum pietatis sensu plenum dicare debemus, qui, poſtquam, inſtaurata atque amplificata ſchola publica 2), *juventutis inſtituendae* ſeminarium condiderat 3), felici hujus rei succeſſu commotus anno ſuperioris ſaeculi nonageſimo ſeptimo die decimo quarto Septembris,

1) Guilielmus I. in matrimonio habuit filiam hereditariam Maximiliani Comitis Bureni, qui Comitatum Lingensem a Carolo V. ut feudum acceperat.

2) A. 1680. Tum primum amplior juventuti erudiendae locus datus eſt, & quatuor Praeceptores inſtituti; ante hoc tempus unus tantum fuerat, a. 1633. a FRIDERICO HENRICO, Aurasii Principe, primum deſignatus.

3) A. 1685.

bris, ſuadentibus ac juvantibus maxime hujus provinciae Praeſide Guilielmo Bentinck, Comite Portlandiae, Thoma Ernesto a Danckelmann, Regi a conſiliis, & Henrico Pontano, ſacro apud Lingenſes Oratore, Gymnaſium hoc Academicum fundavit, & ſumma munificentia praemiisque inſignibus propoſitis, tam externos quam incolas, tam Romano-catholicae quam Reformatae religioni addictos, huc ad ſtudia literarum invitavit. Primus idem Pontanus 4) Theologiae, Otho Verbrugge 5), Antiquitatis & Linguarum Orientalium, deinde etiam Theologiae, Jurisprudentiae vero Petrus de Toullieu 6), & paulatim ceterarum ſcientiarum Profeſſores 7), viri probi & eruditionis copia abundantes, conſtituti ſunt. Atque tam prospere res cecidit, ut brevi doctrinae cupidorum undique afflueret multitudo.

Statim etiam, quo magis ſtudiorum progreſſus adjuvarentur, officina typographica publicis ſumtibus apparata eſt, atque inſtrui coepit bibliotheca, om-

4) A. 1697. d. 14 Sept.

5) Eod. an. d. 28 Oct.

6) A. 1698. d. 11 Nov.

7) A. 1701. d. 2 Jun. ANTON. VAN BYLERT primus Eloquentiae & Hiſtoriarum Profeſſor creatus eſt, a. 1702. NIC. TILBORG Philoſophiae, a. 1708. HENR. WILH. LÜNING Medicinae, a. 1746. FERD. STOSCH Linguarum & Antiquitatis extraordin., a. 1755. ordin.

omnium usibus aperienda; quae a parvis initiis, cum variis largisque aliorum donationibus, tum ab Augustissimo Borussorum Rege Friderico Primo centum florenorum Holland. reditu annuo 8) locupletata, paulatim ad non contemnendam amplitudinem accrevit. Priore quidem hujus saeculi parte, nescio quo fato aut qua incuria, neglecta est aliquamdiu, ut anno CIↃIↃCCLV non amplius octingenta volumina contineret. Tum vero ejus cura, quam antehac Professores una cum Magistratu academico vicissim gesserant, *perpetua* demandata est *Ferdinando Stosch*, scholae Rectori & Antiq. ac *Philol.*, dein Theolog. Professori, *qui intra tres annos numerum voluminum ducentis* auxit. Itaque hoc, deinde Joan. Adrian. Schlegtendal, Philos. Professore, post hunc Frid. Theod. Withof, scholae Rect, & Antiq. ac Philol. Prof., ab anno autem CIↃIↃCCLXXXII. Leon. *Ludov. Finke*, Medic. Doct. & Prof. celeberrimo, collega carissimo, allaborantibus ea accesserunt incrementa, ut nunc voluminum tria millia centum, & in his opera exquisita ac pretiosa non pauca, conspiciantur.

Ce-

8) A. 1707. Idem Rex Indulgentissimus, quum, Lingam ingressus, die 2 Aug. 1720. Ecclesiae atque Athenaei jura a GUILIELMO III. concessa benigne sancivisset, *Othonem Verbrugge* in Auditorio publico verba facientem audire non dedignatus est, eique, gratiis actis & singulari suo favore promisso, quadraginta nummos aureos dono misit, ejusque orationem sumtu publico typis excudi jussit.

Ceterum huic Gymnasio, a Regibus Borussiae Potentissimis, Augustissimis, (in quorum ditionem haec regio, mortuo Guilielmo III, hereditate venit anno CIↃIↃCCII), amplissimis decretis stabilito, varia, plerumque tamen laetior, fortuna obtigit. Nullum vero gravius ei vulnus inflictum est, quam bello septenni, aeterno illo gloriae Fridericianae monumento; praesertim autem anno CIↃIↃCCLXI. quo, Martis feris tumultibus blando Musarum concentui obstrepentibus, iisque adeo tantum non omnibus profugis actum esse de re Academica videbatur. Tamen in melius hoc malum convertit Deus omnipotens, & concuti quidem, non convelli atque everti, hoc Lyceum passus est: quod, cum pace facta metus paulatim cessisset, paulatim quoque convaluit, neque parva deinceps, eaque non intermissa, floruit celebritate.

Quodsi virorum clarissimorum, qui studiorum juventuti duces exstiterunt, obitus, aut in celebriores amplioresque Academias ad docendi munera evocatorum discessus, acerbos saepe dolores commoverunt; Regia tamen Curatorumque laudanda prudentia effectum est, ut, sublectis aliis, non dispari virtutis ac doctrinae fama conspicuis, damna illa probe sarcirentur. Ex iis, qui huic Musarum sedi decori atque emolumento fuerunt, tantum nominare sufficiat Henricum Pontanum, Joannem Ens, Jacobum Elsner, Theologos; Petrum de Toullieu, Henricum Theodorum Pagenstecher, Friderici

ricum Adolphum van der Mark, Jurisconsultos; Joannem Bernardum Hüllesheim, Medicum; Gerhardum ten Kate, Philosophum; Joannem Danielem van Hoven, Leonardum Offerhaus, Ferdinandum Stosch, Philologos. Plures, ne nimis diu vos morer, praetereo.

Hoc etiam in eximia laude ponendum esse arbitror, quod hic locus, & aëris salubritate mirifice se commendat, neque illo strepitu illisve voluptatum illecebris, quibus magnae urbes obnoxiae sunt, vexatur; sed, velut amoenum *praedium*, *otio tranquillo & ruris oblectationibus innocuis* Musas Gratiasque sponte invitat ac detinet; atque *adeo, a rusticitate & mollitia aeque remotus*, ad nutriendum verae elegantiae studium egregie conducit.

Itaque, pro instituti ratione, (quoniam Theologiae quidem dicati juvenes studiorum cursum hic absolvere possunt, reliqui vero *ad ampliores Academias majore cum utilitate frequentandas tantum instruuntur*), sed pro hujus instituti diversorumque temporum ratione satis magna semper adfuit discipulorum excellentissimorum frequentia 9).

Om-

9) Testantur hoc inter alia literae perhumanae, die 9 Apr. a. 1706 a Prorectore & Senatu Academiae Regiae Viadrinae ad Professores Lingenses datae, quibus hi ad celebrandum illius Academiae festum saeculare alterum invitabantur. Ex iis haec verba lubet apponere: „Hujus laetitiae etsi causae quaedam nobis propriae sunt. Sunc tamen aliae cum omni-

Omnium inde ab Athenaei natalibus albo Academico inſcriptorum numerus mille ducentos fere comprehendit, ex quibus quamplurimi cum Eccleſiae tum Reipublicae ſummo fuere vel ſunt adhuc ornamento. De praeſentibus tacere religio mihi eſt, qui, cum diligentia & ſtudiorum aſſiduitate, pariterque vita honeſta & ſuavitate morum excellant, meritam bonorum omnium laudem atque amorem ſibi conciliaverunt. Quocirca ſi priorem aetatem reſpicimus, huic noſtrae cum illa collatae palmam eſſe tribuendam ingenue fatendum eſt.

Denique inter bona recentiora referenda maxime eſt illa quies, qua turbulentiſſimis his temporibus, dum Germaniae fines auſtrales fatali bello exagitantur, ſecuri fruimur. Licet enim ante triennium confuſa fugientium, cum aliarum, tum praeſertim Anglicarum, copiarum multitudo cum aegris non paucis huc ſe reciperet, urbisque tranquillitatem aliquamdiu turbaret, imo & ſubſequens hoſtis usque ad ulteriorem Amiſii propinqui ripam procedens

bus ubique humaniorum artium ſedibus, illisque ipſis Seminariis Academiarum illuſtribusque Gymnaſiis communes, in quibus parari bonae mentes ſolent, ut eo utiliorem Academiis & mox reipublicae operam navent; quod honor literarum ad omnes pertinet; quod hoc Academiae hujus ſecundum, ſed primum Religionis Reformatae in eadem ſaeculum feliciter elapſum eſt; ad quam ex veſtra literarum meliorum officina frequens ſemper huc cupida altiorum ſtudiorum juventus confluxit." cet. Plura ſerioris quoque memoriae teſtimonia afferre supersedeo.

dens minasque jactans non mediocrem nobis metum incuteret; tamen haec tempestas subito praetervolans nullum detrimentum insignius neque civitati neque Academiae Scholaeve attulit. Mox facta pace pristinum rediit otium, quod & ipsi nullis usque adhuc discordiis rumpi sivimus, neque posthac, precor, sinamus.

Haec & alia commoda quamplurima per hoc saeculum in hanc virtutis sapientiaeque officinam delata, quae providam ac propitiam Dei curam luculenter demonstrant, nunc sane ad vota pia mente solvenda honestamque *laetitiam incitare* nos debent. Quin ipse Rex *noster Potentissimus Clementissimusque, pro eximio suo in* doctrinam doctrinaque studiosos amore, honorificentissimo decreto ac liberalitate singulari eo nos invitat & excitat: qui honor communi nunc gaudio maximum addit cumulum summasque animorum nostrorum gratias provocat. *Ubicunque* enim Principes & eorum Academicarum Moderatores favore, benevolentia atque dignatione studium scientiarum in docentibus discentibusque inflammant, fieri aliter non potest, quin magis magisque efflorescant litterae humaniores; cum contra eorumdem neglectio & contemtus discendi cupiditatem atque ardorem necessario imminuat, ne dicam, extinguat. Vivat igitur felix Rex noster Clementissimus! vivant Regiarum Academiarum, ut & hujus Athenaei, Curatores Amplissimi! sub quorum auspiciis florem illius ac ce-

lebritatem non modo integram fore, ſed & novis ſubinde accesſionibus ornatiorem, non ſine fiducia ſperamus.

Vobis etiam, Clariſſimi Profeſſores, collegae cariſſimi, quorum amicitiam ſumma concordia conglutinatam maximo mihi & honori & emolumento duco, vobis, precor, vita conſervetur laeta & longa, ut per multos annos quammaximus diſcipulorum numerus ad bonae mentis ac Muſarum ſacraria vobis ducentibus progrediatur, veſtraque probitate & eruditionis fama Gymnaſii ſplendor magis magisque effulgeat!

Denique vobis, egregii Muſarum Alumni, omnia ut eveniant proſpera, maximeque ſtudiis veſtris Deus faveat propitius, ſacro hoc tempore precari fas eſt. In vos, tanquam in ſpem aetatis futurae, cujus ſalus in veſtra laude praeſertim poſita eſt, omnium oculi & mentes ſunt converſae: Veſtram curam ac praeſidium geſtientes exſpectant Eccleſia atque Respublica. Quamobrem de via virtutis ac ſapientiae, qua ſola ad veram laudem ac felicitatem pervenitur, ne deflectatis; ſed ita ſemper in hoc ſtudiorum curriculo verſemini, ut ſpem illam, quam de vobis parentes conceperint & patria, certam ratamque faciatis; atque ita juventuti venturae ſaluberrimum praebeatis exemplum.

Valete, Cives optimi, & mecum gaudete.

Scr. Lingae

d. IV Nov. a. CIↃIↃCCXCVII.

PRO-

PROLUSIO

DE SUMMO MOMENTO, QUOD MORES PRINCIPUM AFFERUNT AD MORES UNIVERSAE CIVITATIS PUBLICAMQUE ADEO VEL PERNICIEM VEL SALUTEM,

Ad indicenda examinis & promotionis ſcholaſticae ſollemnia in d. XXIV *Jul. &* VII. *Sept.* CIↃIↃCCXCVIII.

Amorem religionis, quaeque inde abeſſe non debet, integritatem morum ac virtutem, uti ſingulis hominibus, ita populis univerſis tranquillitatem ac ſalutem afferre, niſi ipſa ratio doceret, humanae *gentis oſtenderent annales.* Contra quicunque populus, a majorum ſimplicitate atque temperantia degenerans, luxu & mollitia mores corrupit, certe is jam ſinu ſuo perniciei fovet ſemina; quae, licet, ad maturitatem nondum perducta, aliquam fortunae ſpeciem ſupereſſe patiantur, ſenſim tamen progerminantia, peſtiferos tandem funeſtosque halitus late diſpergent, omnem exuſturos florem felicitatis. De luxu quidem utramque in partem diſputatur: neque enim deſunt, qui prodeſſe eum civitatibus contendant, propterea quod & conficien-

dis vel comparandis vendendisque iis rebus, quae luxui inserviunt, magnus civium numerus victum sibi quaerat, & inde, dum locupletiores magnificentiae & splendori partem impendant divitiarum, simul exsistat ratio quaedam, quae prohibeat, ne forte, civibus opum inaequalitate nimium diversis, detrimentum capiat respublica. Quod utrumque etsi iis largiamur, modum tamen in his tenendum esse, quis non intelligit? Certissimum utique est, luxum, si vel facultates excedat, vel modestiae temperantiaeque fines transcat, non privatis tantum rebus, sed publicis pernicioſisſimum esse. Quicunque enim luxui sic est deditus, ut eo, non ad victus cultusque elegantiam, non ad honestam & congruentem cum dignitate sua magnificentiam utatur, sed ad luxuriam, mollitiem, libidinem; nomen boni utilisque civis haud meretur. Nam hoc malum si latius manaverit, & primum principes, ut semper, invaserit familias, patria insigni praestantiorum civium numero, unde maxima in ipsam merita & beneficia sperari poterant, privabitur; utpote qui, dum luxuria diffluunt effeminati neque prudenter administrandae, neque manu fortiter propugnandae reipublicae satis erunt idonei. Deinde, cum pessimo hoc exemplo ceteri quoque corrupti voluptatibus se ac libidinibus tradiderint, vis omnis omnesque nervi reipublicae jaceant soluti, imminentibusque periculis fatiscant, necesse est. Similiter om-

omnes illi, qui per luxum bona sua profuderunt, cives, non dico, inutiles, sed perquam noxii, imo pestes habendi sunt & flammae civitatum. Avaritiae stimulis impulsi, ut habeant, unde vastam cupiditatum impleant voraginem, bonos cives vexant, vi alios, alios fraude opprimunt, neque, dum sceleſtis animi consiliis obsequantur, ab ullo abhorrent flagitio: denique suis de rebus desperantes ac perditi rempublicam invadunt, summa imis paria faciunt, ipsamque patriam, sanctissimum nomen, vel incultis nationibus, auro habent venalem.

Itaque cum *nimio luxu, quaeque inde* necessario proficiscitur, *pravitate* morum, multa regna, *multas respublicas* contabuisse, pudenda declarent exempla, omnisque populus, prosperiore usus aura fortunae, his malis obnoxius esse soleat; nihil sane regis magistratusve attentione dignius, nihil prius aut potius ei curandum videtur esse, quam *qua ratione civitatem*, quoad ejus fieri possit, ab illa peste habeat integram atque incontaminatam. Neque id jam olim viri egregii non viderunt, variasque eo consilio tulerunt leges, quibus tamen mirum est, quam parum profecerint. Posteri Curiorum ac Fabriciorum, quibus parvus agellus omnis erat possessio, rapae tostae fercula lautissima, sed neque ferro neque auro hostium superari, prima virtus, laus summa; horum posteri, opibus luxuque peregrino corrupti, legibus sumtuariis, diversis temporibus renovatis, ab intemperantia & luxuria cohiberi non

potuerunt. Contemtis legibus Oppia 1), Orcia 2), Fannia 3), Didia 4), adeo subinde Romanis ad emendas gulae delicias & omne voluptatum genus aviditas opum accrevit, ut ab hostibus cum publico damno ac dedecore donis corrumpi tribunos plebis ipsosque consules non puderet, atque anno U. C. ɔɔcxliii Jugurtha, Roma egressus, eoque saepius respectans, memorabilem hanc vocem efferret: *o urbem venalem & citò perituram, si emtorem invenerit!* Cui malo in dies

1) Lex Oppia de finiendis matronarum cultibus, anno U. C. ɔɔxxxix a C. Oppio lata, viginti annis interjectis, licet M. Porcius Cato vehementer disſuaderet, maxima omnium ordinum contentione abrogata est, tanquam si in ea abroganda summa reipublicae verteretur. Livius Lib. XXXIV. Cap. 1. sqq.

2) Hanc legem a. U. C. ɔɔlxxi. C. Orcius tulit, quae cum numerum convivarum tantummodo coërceret, ipsam luxuriam epularum fine freno reliquit. Macrobius Saturnal. Lib. II. Cap. 13.

3) Anno vigesimo, quam lata erat lex Orcia, tantopere conviviorum accreverant sumtus & intemperantia, ut irritatum remedio malum videretur; ea enim (verba sunt Sammonici Sereni ap Macrob. l. c.) *res redierat, ut gula illecti plerique ingenui pueri pudicitiam & libertatem suam venditarent: plerique ex plebe Romana vino madidi in comitium venirent, & ebrii de salute reipublicae consulerent.* Itaque hanc incontinentiam nova lege lata reprimere conatus est C. Fannius. Gellius Lib. II. Cap. 24. Macrobius loc. cit.

4) Anno U. C. ɔɔcix. legem Fanniam renovavit, majoremque ei ambitum dedit Didius tribunus pl. Macrobius ibid.

dies gliscenti P. Licinius Crassus ut obviam iret, denuo legem tulit 5), quae tamen ceteris haud diutius observata fuit, imo (adeo jam ista lues inveteraverat) intra decennium, agente Duronio tribuno plebis, abrogata 6). De lege Sullana, coenarum funerumque sumtus reprimente, quid attinet dicere? cum is ipse, qui tulerat, exsequias Metellae uxoris maximo sumtu celebraverit, & in praedio Cumano tandem voluptatibus totum se obruerit 7). Ergo neque his legibus, neque censura, reipublicae quondam *utilissima*, quidquam amplius *valentibus*, populus Romanus, vitiis magis magisque immersus ac tandem penitus *oppressus*, omnem virtutis laudem, omnemque libertatem ac prosperitatis florem amisit. Pari naufragio jam subsiderat Athenienſium fortuna, quos tamen Solon, ab infami hoc scopulo caverent, legibus sapienter conditis monuerat. Athenis, aeque ac Romae, non viri tantum, sed & feminae, in quarum cultu & ratione vitae ad mores civitatis vel pro-

5) Anno U. C. DCXLII. Idem ibid. Gellius ibid. conf. Freinshemii supplem. Livii Lib. LXIV. Cap. 54.

6) Valerius Maximus Lib II. Cap. 9. Duronius tamen ob hanc causam a censoribus M. Antonio & L. Flacco senatu motus.

7) Vid. Plutarchus in vita Sullae Cap. 69. Leges sumtuarias post Sullam frustra latas vide apud Gellium & Macrobium ll. cc.

probos vel improbos tanta vis est, vivere luxuriose atque delicatius, quam honestum esset, vetitae 8): verum & his praescriptis perbrevis constitit obedientia. A nonnullis Franco-Galliae regibus, Carolo Magno, Philippo Pulcro, Henrico IV, ejusdem generis leges latae sunt, sed haud meliore successu: neque enim apparet illarum auctoritatem diu valuisse, aut avertisse populum a luxu & libidine 9).

Videlicet animus humanus, sive voluptatum blandimentis inescatus captusque, sive falso gloriae studio, aliarumve cupiditatum vi infinita abreptus, neque bonae existimationis, neque patriae, neque religionis amore satis videtur contineri, quominus ad eludendam vim legum patentissimum callidissimumque se praebeat, imo etiam aliquando vim illam publico consilio abolendam curet. Accedit tum aemulatio, quae nescio an ulla in re major magisque communis appareat, quam in

8) Athenaeus Lib. XV. Cap. 12. Plutarchus *in vita Solonis* Cap. 15.

9) Millot *Elem. de l'hist. de France* Tom. I. P. 311. Une loi somtuaire, publiée en 1294. fixe la quantité de mets, qu'on peut servir sur les tables; — la même loi fixoit le nombre des robes, qu'on pouvoit se donner tous les ans, le prix, qu'on pouvoit y mettre, & defendoit aux bourgeois les chars, les torches, les fourrures. Defenses inutiles, comme tant d'autres, parce qu'on ne tint point la main a l'execution.

in magnificentia & luxu, quaeque, ut haec celeriter in omnes civium ordines propagentur, efficit. Atque ubi mores parentum semel sunt polluti, mox in liberos contagio delabitur, & ex alia in aliam aetatem, similis globi nivei cadendo semper crescentis, identidem major descendit atque funestior: quod quam brevi & nervosa sententia significat Horatius! 10).

Aetas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Quamquam vero universe quidem accusanda est imbecillitas naturae humanae; tamen maximam esse culpam ac paene unicam principum atque optimatium, quid est, quod dissimulem? Ab iis enim omne mali principium 11). Si quis forte amor luxuriae inter tenuioris ordinis homines oriatur, is facile opprimitur, neque in eo versatur splendore, ut multorum oculos animosque capiat, ac de honestate deducat. Uti enim flumen relabi non solet, sic luxus ab inferioribus civium classibus ad superiores non adscendit, sed ab his, velut a fonte, exortus ad illas praecipitato cursu defluit. Quicunque enim res humanas paulo attentius conside-

ra-

10) Lib III. Od. VI. vs. 46.

11) Cic ad Div. I. ep. 9. *Erant praeterea haec animadvertenda in civitate, quae sunt apud Platonem nostrum scripta divinitus: quales in republica principes essent, tales reliquos solere esse cives.*

ravit, ignorare non poteſt, tantam vim eſſe exempli, a viris ſummis propoſiti, ut ad illud plerumque omnis civitas ſe componat: quae res imbecillibus hominum ingeniis prorſus conſentanea eſt. Nam paucos natura videtur inſtruxiſſe animo tam firmo & erecto, ut ad vitam ſapienter ac decore agendam ſibi ſufficiant: pauci ſunt Hercules, qui viam recti & honeſti ſponte ſua ſequantur, in ea conſtanter procedant neque ullis illecebris abripi in deverticula ſe patiantur. Plurimi vero, ut ita loquar, ex viliore luto ficti, cum ipſi non habeant, quod ſequantur, ſe ipſi formare nequeant, ad aliorum agunt & formantur exempla, maxime eorum, quos in civitate publicis honoribus & auctoritate vident inſignes & ſe ſuperiores. Quibus, quia & in aliis rebus omnibus praeſtantiſſimos eſſe ſibi perſuadent, plane fidunt, atque eadem ſe decere, quae illos, exiſtimant. Hinc autem tantus exſiſtit error, ut nullum habeant delectum, quid imitatione, quid improbatione dignum ſit, non discernant, atque turpia cum pulchris, honeſta cum inhoneſtis, vitia cum virtutibus confundant. Itaque inventi ſunt, qui corporis habitus & formas ſingulares, turpitudines quoque & ipſa menda, quae in viris principibus conſpexiſſent, vel ſi qua eorum remedia propter formae ſtudium excogitata eſſent, mira atque ridicula imitandi libidine affectarent, vel in pretio haberent. Ita Perſis in pretio fuit naſus aduncus, nullaque id alia de cau-

cauſa, quam quod Cyri facies ea naſi figura inſignis erat 12). Amici Dionyſii minoris, Syracuſarum regis, cum per nimium vini uſum hebetatis eſſet oculis, coecitatem omnes fimulaverunt, ita ut ipſe ſecum coenitantium manus errantes per menſam dirigere neceſſe haberet 13). Adrianus Imperator cicatricis cauſa, quae mentum turpabat, barbam aluit, ejusque moris auctor fuit Romanis 14), qui ab anno U. C. CCCCLIV. tondere barbam conſueverant 15). Similis caſus eundem morem produxit inter Franco-Gallos, qui, poſtquam rex Franciscus I., in certamine ludicro, ſed rege parum digno, dum nempe domum aliquam pilis niveis oppugnat, capitis vulnere laeſus, brevem quidem caeſariem, ſed barbam promiſſam geſtare coeperat, id ſtudioſe omnes imitati ſunt, & usque ad tem-

12) Plutarchus *in praecept. reip. ger.* Cap. 66. & *Apophthegm.* Cap. 3.

13) Theophraſtus apud Athenaeum Lib. X. Cap. 10.

14) Xiphilinus, & Spartianus in *vita Adriani*; docent idem numi. Conf. Winkelmann *lettres ſur les decouvertes d'Herculaneum* p. 289.

15) Plinius N. H. Lib. VII. Cap. 59. Hinc monet Ovidius *de Arte Am.* Lib. I. vs. 519.

Nec male deformet rigidos tonſura capillos:
Sit coma, ſit docta barba reſecta manu.

Vetuſtioribus autem temporibus Romani fuere intonſi. Livius Lib. V. Cap. 42.

tempora Ludovici XIII. retinuerunt 16). Quin etiam, ut & hoc addam, cum Ludovicus XIV. fistulam ani exsecandam sibi curasset, teste Petito chirurgo regio non defuerunt, qui, sano corpore, sed mente insana, simile quid sibi fieri cuperent. In hoc genus hominum, quidquid in viris magnis & honore ac gloria conspicuis observaverint, temere imitantium, quadrant faceti hi versus Horatii 17):

Vina fere dulces oluerunt mane Camenae.
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.
Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda. Forum putealque Libonis
Mandabo siccis, adimam cantare severis.
Hoc simul edixi: non cessavere poëtae
Nocturno certare mero, putare diurno.
Quid? siquis voltu torvo ferus & pede nudo,
Exiguaeque togae simulet textore Catonem;
Virtutemne repraesentet moresque Catonis?
Rupit Jarbitam Timagenis aemula lingua,
Dum studet urbanus tenditque disertus haberi.
Decipit exemplar vitiis imitabile. Quodsi
Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.
O imitatores, servum pecus; ut mihi saepe
Bilem, saepe jocum vestri movere tumultus!

Quemadmodum autem corporis, ita etiam, quod mul-

16) Milliot *Elem. de l'hist. de France*, Tom. II. p. 94.

17) Epist. Lib. I. ep. 19.

multo est pejus, animi deformitas & maculae, a viris in republica summis ortae, ad ceteros cives facili lapsu solent transire. Nam quod vitia in se admittunt principes, quamquam foedum per se ipsum hoc est, minus tamen exitiosum est, quam quod innumeris aliis vitiorum fiunt auctores: eorumque peccatis haud paullo damnosiora sunt exempla, quibus totas inficiunt civitates atque pessumdant. Athenae, tam praeclaris legibus constitutae, quos habuere voluptatum nequitiaeque duces, nisi viros inprimis conspicuos & reipublicae praefectos, Hippiam & Hipparchum 18), deinde Periclem, licet hunc tamen indulgentia magis, quam exemplo noxium 19), hujus uxorem Aspasiam 20), Alcibiadem 21)? Reges quoque Asiaticos, Persiae 22) praesertim ac Syriae, quis ignorat, omni tempore mollitia ac deliciarum usu animos enervasse? e quibus tandem Antiochus Magnus, cum jam ex aula, velut e sentina, malum in populum ac milites dispersum erat lateque dissemi-

na-

18) Athenaeus Lib. XII. Cap. 8.

19) Plutarchus in *vita Periclis* Cap. 17.

20) Idem ibid. Cap. 43. seqq.

21) Idem *in vita Alcibiadis* Cap 26 seqq.

22) Xerxem Valerius Maximus Lib. IX. Cap. 1. eo processisse luxuriae notavit, ut edicto praemium ei proponeret, qui novum voluptatis genus reperisset.

natum 23), maxima turpiſſimaque imperium plaga laceravit. Quis neſcit ipſos Aſiae victores eodem morbo contactos peregrinam luxuriam in Urbem tranſtuliſſe, maximeque tum Cn. Manlium Vulſonem, devictis Gallo-Graecis 24), & poſtea L. Licinium Lucullum 25) ex bello Mithridatico reducem Romanis exemplo fuiſſe pernicioſiſſimo? Denique quem fugiunt recentioris memoriae exempla, quae veritatem ejus rei, quam probare ſtudeo, in clariſſima luce collocent? Commodiſſime quidem reſpondiſſe ſibi videbatur Lucullus, cum, objecta magnificentia villae Tuſculanae, *duo ſe habere* diceret *vicinos; ſuperiorem, equitem Romanum; inferiorem, libertinum: quorum cum eſſent magnificae villae, concedi ſibi oportere, quod iis, qui tenuioris ordinis eſſent, liceret.* At quanto commodius & verius ad haec Cicero! *non vides*, inquit, *Luculle, a te id ipſum natum, ut illi cuperent? quibus id, ſi tu non faceres, non liceret: Quis enim ferret iſtos, cum videret eorum villas ſtignis & tabulis refertas, partim publicis, partim ſacris & religioſis? Quis non frangeret eorum*

23) Livius Lib. XXXVI. Cap. 11. Valerius Maximus loc. modo laud.

24) Livius Lib. XXXIX. Cap. 6.

25) Plutarchus in *vita Luculli* Cap. 79 ſeqq. Plures ſummi ordinis Romanos, luxuriae primos artifices, notatos vide apud Valer Max Lib. IX. Plinium Nat Hiſt. Lib. VIII. Cap. 51. Macrob. Saturnal. Lib. II. Cap 9.

rum libidines, nisi illi ipsi, qui eas frangere deberent; cupiditatis ejusdem tenerentur 26)?

Uti autem pessimi rerumpublicarum perditores existimandi sunt, quicunque, dum principem locum & auctoritatem tenent, vitam agunt pudoris decorisque expertem; ita nulli pejores, quam quorum inter vitia magna magnae perlucent virtutes; in quibusque ineſt fallax quaedam & lubrica morum dissimilitudo. Nam hoc magis nocent, quod decore & gratia meritorum, veluti fuco, illinunt flagitia sua; quae, eo faciliori errore ab imperitis inconsultisque cum ipsa honestate confusa, tecte & quasi per insidias animos implicant & ad nequitiam abducunt. Talis inter Romanos exstitit idem ille Lucullus, inter Graecos Alcibiades 27). Hujus, recte dicit Valerius Maximus 28) se nescire, bona an vitia patriae perniciosiora fuerint. Illius virtutem observat Cicero 29) neminem, luxuriam vero & *villarum magnificentiam* permultos imitatos fuisse. Adeo nempe imbecillitas levitasque humana propter libidinum illecebras ad imitanda vitia propensior est, quam ad virtutes.

No-

26) Cicero de Legibus Lib. III. Cap. 13.

27) Plutarchus in *vita Alcibiadis* Cap. 27. Conf. Barthelemy Voyage du Jeune Anach. Introd. p. 260. 261.

28) Lib. III. Cap. 1.

29) De officiis Lib. 1. Cap. 39.

Negari quidem non potest, difficilem esse summorum hominum conditionem, quandoquidem, in amplissima fortuna omniumque rerum abundantia plerumque versantes, peccandi undique circumdantur materie. Commodum enim non est, divitiis opibusque cum affluas, iis non abuti, voluptatumque, sensibus leniter blandientium, stimulis, cum fruendi adsit copia, resistere, vel in iis modum non egredi. Ubi vero semel in culpam incideris amisso animi imperio, mox aliud ex alio nasci solet vitium, & patere ampla ad delinquendum fenestra. Quae res quamvis ita se habeat, veritatem tamen sententiae nostrae neutiquam infirmat; neque eo minus uniuscujusque, praesertim principis viri atque imperantis, officium est, temperanter vivere naturaeque congruenter. Ecquid enim turpius est homini primario, quam civitati imperare posse, (si modo possit,) sibi ipsi non posse; splendore munerum & inani gloria ornari, vitam vero incontinentiae deformi labe conspergere? Ecquid tandem foedius aut flagitiosius, quam, quorum salutem omni modo tutandam augendamque susceperit, hos pravitatis exemplo corruptos ad exitium desperatamque perducere miseriam?

Ex iis, quae hactenus disserui, manifestum esse arbitror, qua origine & quibus auctoribus in civitates infundi soleat corruptela morum; quibus violatis, uti verissime judicavit Montesquie-

vi-

vius 30), vir magnus, plura interierunt imperia, quam violatis legibus. Simul vero ex disputatione nostra sequitur, qua potissimum ratione populi a luxu & omnibus, quae inde nascuntur, malis aut servari incolumes, aut liberari possint. Videlicet eos sicut principum nequitia solet corrumpere, sic continere & corrigere temperantia. Idem illud omnium fere hominum commune imitandi aemulandique studium, quod alias tantopere est noxium, si viri probi & virtutibus excellentes imperium habent, saluberrimum esse civitatibus necesse est. Mores enim puros & pudicos, ubi in viris praecipuis enituerint, quotusquisque erit, quin uti pulcerrimos admiretur & assequi studeat? & rursum quotusquisque, quin ea, quaecunque committere illos puduerit, a se quoque putet aliena? Facere non possum, quin adscribam aliquot Claudiani versus ad hanc rem appositos 31):

Ductor Stilico tot gentibus unus,
Quot vel progrediens, vel conspicit occiduus sol,
In quo tam vario vocum generumque tumultu
Tanta quies, jurisque metus servator honesti
Te moderante fuit, nullis ut vinea furtis,
Aut seges erepta fraudaret messe colonum:
Ut nihil aut saevum rabies, aut turpe libido
Suaderet; placidi servirent legibus enses.

Sci-

30) *Grand. & decad. des Romains* Chap. 8.

31) *De laudibus Stiliconis* Lib. I. vs. 160. seqq.

Negari quidem non potest, difficilem esse summorum hominum conditionem, quandoquidem, in amplissima fortuna omniumque rerum abundantia plerumque versantes, peccandi undique circumdantur materie. Commodum enim non est, divitiis opibusque cum affluas, iis non abuti, voluptatumque, sensibus leniter blandientium, stimulis, cum fruendi adsit copia, resistere, vel in iis modum non egredi. Ubi vero semel in culpam incideris amisso animi imperio, mox aliud ex alio nasci solet vitium, & patere ampla ad delinquendum fenestra. Quae res quamvis ita se habeat, veritatem tamen sententiae nostrae neutiquam infirmat; neque eo minus uniuscujusque, praesertim principis viri atque imperantis, officium est, temperanter vivere naturaeque congruenter. Ecquid enim turpius est homini primario, quam civitati imperare posse, (si modo possit,) sibi ipsi non posse; splendore munerum & inani gloria ornari, vitam vero incontinentiae deformi labe conspergere? Ecquid tandem foedius aut flagitiosius, quam, quorum salutem omni modo tutandam augendamque susceperit, hos pravitatis exemplo corruptos ad exitium desperatamque perducere miseriam?

Ex iis, quae hactenus differui, manifestum esse arbitror, qua origine & quibus auctoribus in civitates infundi soleat corruptela morum; quibus violatis, uti verissime judicavit Montesquie-

vi-

vius 30), vir magnus, plura interierunt imperia, quam violatis legibus. Simul vero ex disputatione nostra sequitur, qua potissimum ratione populi a luxu & omnibus, quae inde nascuntur, malis aut servari incolumes, aut liberari possint. Videlicet eos sicut principum nequitia solet corrumpere, sic continere & corrigere temperantia. Idem illud omnium fere hominum commune imitandi aemulandique studium, quod alias tantopere est noxium, si viri probi & virtutibus excellentes imperium habent, saluberrimum esse civitatibus necesse est. Mores enim puros & pudicos, ubi in viris praecipuis enituerint, quotusquisque erit, quin uti pulcerrimos admiretur & assequi studeat? & rursum quotusquisque, quin ea, quaecunque committere illos puduerit, a se quoque putet aliena? Facere non possum, quin adscribam aliquot Claudiani versus ad hanc rem appositos 31):

Ductor Stilico tot gentibus unus,
Quot vel progrediens, vel conspicit occiduus sol;
In quo tam vario vocum generumque tumultu
Tanta quies, jurisque metus servator honesti
Te moderante fuit, nullis ut vinea furtis,
Aut seges erepta fraudaret messe colonum:
Ut nihil aut saevum rabies, aut turpe libido
Suaderet; placidi servirent legibus enses.

Sci-

30) *Grand. & decad. des Romains* Chap. 8.

31) *De laudibus Stiliconis* Lib. I. vs. 160. seqq.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum;
Utque ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.

Quodſi omnium ſaeculorum hiſtoriam conſulimus, videre licet, quamdiu viros ſummos, tamdiu & civitates, majorum integritatem ac mores probos retinuiſſe, & ſecundis rebus floruiſſe; neque hoc tantum, ſed & civitates corruptas bonorum principum exemplo ad meliorem frugem non raro ſe recepiſſe. Quis Titi, Trajani, Antoninorum hic non meminit? quorum virtutibus Romani, poſtquam ſuperiorum Imperatorum culpa in ſocordiam & nequitiam prolapſi eſſent, denuo ad gloriam & ſpem melioris fortunae ſunt erecti.

Quamobrem quis dubitet eximiam laetiſſimamque praedicare fortunam illorum regnorum & rerumpublicarum, quibus praeſunt viri non modo regendae civitatis peritiſſimi, verum etiam integritatis laude commendati; qui exemplo ſuo temperantiam, frugalitatem, pudicitiam, pudorem in civitate cuſtodiunt; qui ſuo amore virtutis ac religionis ad deum ſanctiſſime colendum virtutemque amandam cunctos inflammant; qui, uti boni parentes liberos, ita cives ſuos formant & componunt ad honeſtatem, non monendo tantum, ſed praeſertim agendo ea, quae pulcra ſunt & honeſta? Praeclarum igitur illud Iſocratis 32), quo Nicoclem Salaminis Cypriae regem inſtruxit, monitum: *ne ita exiſtimaret, ali-*

32) Oratio ad Nicoclem.

alios oportere vivere moderate, reges immoderate; sed operam daret, ut sua temperantia ceteris esset exemplo; quippe qui non ignoraret, mores universae civitatis tales esse, quales imperantium. Hoc ipsi documentum esset bene acti imperii, si populum administratione sua & locupletiorem factum & modestiorem vidisset. Praeclare etiam Cicero 33) in descriptione legum ad magistratus pertinentium praecipit: *is ordo* (senatorius) *vitio vacato; ceteris specimen esto.* Cui legi dein egregiam subjicit explicationem ad firmanda ea, quae hic disputo, maxime appositam 34). *Profitetur* quidem, non ad eum senatum, neque eos ad homines, qui tunc essent, sed ad futuros, siqui forte istis legibus obtemperaturi essent, orationem suam pertinere, neque se rem facilem praescribere; sed quae tamen educatione quadam & disciplina obtineri aliquando posset.

Praeclara sane haec sunt; sed nihil tamen praeclarius, quam vox illa aurea Fridrici Guilielmi III, regis nostri augustissimi, qua dicere non possum, quantopere sim delectatus, quaeque, ut haec hac occasione scriberem, mihi mentem injecit. *Leges*, inquit, *quae luxum satis reprimant, non existunt; ipse autem civibus meis continentiae me praebere exemplum studeo.* Quod quam ve-

33) De legibus Lib. III. Cap. 3.

34) Ibid. Cap. 13, 14.

vere dixerit, ex omni vitae ratione perſpicuum eſt. Neque enim in eo duntaxat admiramur ingenium maximarum rerum capax, ut poſſit, ſed ſingularem quoque animi ſinceritatem ſtudiumque ardentiſſimum, ut velit, reipublicae quammaxime prodeſſe: quibus virtutibus omnino magnis accedit morum pulcerrima atque, ut in tali fortuna, rara ſimplicitas & ſanctitas, ut non opulentiae potentiaeque externo ſplendore, ſed intimis animi ornamentis, humanitate, modeſtia, juſtitia, vitaeque ſapienti moderatione dignitatem ac gratiam ſibi conciliandam putet; neque ex voluptatum libidinoſa conſectatione, unde nemo eſt praeter illum alienior, ſed ex benefactorum digna collocatione pietatisque fructibus praecipuam delectationem quaerat: atque ita, non victu cultuque luxurioſo & molli, aliisve ſtudiis inhoneſtis, quae multorum eſt amentia, ſed temperantia, probitate, ceterisque virtutibus cum civibus ſuis contendere velit atque aemulari. Itaque, cives, hunc regem optimum, cujus regni tam pulchra, tam auſpicata ſunt initia, intuemini! pravaque aemulatione luxuriae mutuaque invidia abjecta hoc exemplum vitae & morum aſſidue vobis ad imitandum proponite! ad hoc omnes adſpirate! Quod quamdiu feceritis, utilitates & praemia, quae virtutem nunquam non ſequuntur, certiſſime vobis manebunt. Vos quoque, principes omnes & rerumpublicarum praefecti, agite, huc oculos convertite! ad hoc exemplum vos con-

for-

formate! Dubium enim non eſt, quin ita cives habituri ſitis & meliores & feliciores, atque ipſa imperia tranquilliora, firmiora, florentiora.

Scrib. Lingae d. XVIII Julii a. CIↃIↃCCXCVIII.

ORATIO

DE ACCURATA VETERUM AUCTORUM CUM GRAECORUM TUM ROMANORUM LECTIONE, REIPUBLICAE GERUNDAE STUDIOSO UTILISSIMA,

Ad auſpicandum Gymnaſii Harlemenſis regendi munus habita publice die XXVII *Oct.*

a. CIↃIↃCCCII.

Populos legibus inſtituere ac rebuspublicis praeeſſe res mihi ſemper viſa eſt talis ac tanta, quae ſine ingenio et ſua natura eximio et multis reconditisque literis perfecto, ſine animo ſummis virtutibus ornato rerumque maximarum capaci bene et feliciter geri non poſſit. Ecquid enim in hoc orbe terrarum invenitur, quod majus ſit homini, ac difficilius, quam gubernare homines, atque ita gubernare, ut ſingulorum voluntates, diverſiſſimae fere illae ſibique adeo contrariae, ad unum eundemque finem, ad communem omnium ſalutem, perducantur? Priscorum quidem aetate aurea, ut et hodie, ubicunque familiae vel parvi adhuc populi ſeorſim ſevera plerumque morum disciplina ſimplicique vitae genere agunt, ſimplex facilisque est im-

imperii ratio et rudibus ingeniis accommodata; quaecunque vero nationes adoleverunt in civitates & respublicas majores, ubi civium necessitates simul et pericula valde sunt aucta et multiplicata, ibi certe multo majore prudentia, sollertiore consilio multarumque rerum cognitione indiget administratio reipublicae, quae si in imperitorum manus inciderit, miseranda prorsus est et in certam subito ruitura perniciem.

Hujus rei veritatem, licet sana ratione subnixam, si forte aliquis in dubium vocet, is vel contemnat, oportet, vel ignoret omnium temporum experientiam, ac sapientissimorum hominum testimonia. Instar omnium millium nobis sit Socrates, qui in summa civitatis humanitate ac libertate natus atque educatus, optimus et homo et civis, mortaliumque sapientissimus, patrias leges corrumpi vitiaque in rempublicam induci ut indignissime ferebat, ita aperte criminabatur, luculenta hac et ad persuasionem apposita usus comparatione: „ veluti ad domum aedificandam vel regendam navem non rei peritum, sed sorte aliquem legere velle insaniae foret, ita multo etiam insanius esse, lectionem eorum, qui reipublicae praefuturi essent, coeco fabarum casui permitti, cum in hac multo graviore cum detrimento peccaretur, quam vel in aedibus struendis vel nave gubernanda."

Ceterum qui terra marive militiae praefecti rem optime gesserunt, eos nonne mirari summisque laudi-

dibus efferre, imo triumphis ornare ac monimentis solemus, non omnem tamen gloriam fortunae tantum aut fortitudini, sed maximam partem consilio, variarum rerum scientia fulto, tribuentes? Ergo hos non ob animum modo impavidum, sed ob prudentiam simul et eruditionis copiam suspicimus maximisque dignos honoribus judicamus; in iis, qui universae reipublicae pacis bellique temporibus praesint, qui plurima summique momenti negotia gerant, sine quorum prudenti administratione respublica salva esse non possit, in iis, inquam, nihil aut parum studii doctrinaeque requiremus? Qui judicia, totam rem militarem, industriam publicam, religionem ac doctrinam, rationem munerum publicorum conferendorum, reditus publicos probe curent; denique non modo cum civibus, sed et cum aliis populis pace et bello ita agant, ut patriae neque emolumentum neque dignitas imminuatur, sed augeatur etiam ac floreseat: tot tantaque et tam diversi generis negotia qui feliciter gerant, ut nulla pars negligatur, his opus esse plurimarum rerum notitia longoque scientiarum studio negabimus?

Sed plura de hac re non disputo. Cum autem, quod inter prudentiores satis constare arbitror, doctrinae politicae propter multitudinem, diversitatem dignitatemque rerum, quas illa complectitur, magnus pateat ambitus, magnumque studium requiratur, manifestum est, qui eo viam sibi muni-

ni-

hire, felicesque facere progressus velit, variis ei certisque opus esse subsidiis: quo equidem inprimis referendum esse scriptorum e veteribus optimorum studium existimo, ut, juventuti ad civitatem regundam instituendae quicunque his praesertim temporibus praeclarum illum civilis prudentiae fontem ostendat vel studiosius denuo commendet, hujus opera non inutilis aut pro nihilo putanda esse videatur.

Haec ego mecum reputans, cum hodiernus dies inflaret ad auspicia delati mihi muneris rite capienda sollemnis, neque ab re fore neque alienum a persona mea ducebam, si inde materiam dicendi petissem. Dicam igitur de accurata veterum auctorum cum Graecorum tum Latinorum lectione, reipublicae gerendae studioso utilissima.

Quod dum ago pro mea facultate, quae scio quam sit mediocris, vos A. A., benevolis animis *favere mihi velitis*, humanissime rogo: et si forte aliquis me studium meum, quod sin literis Graecis Latinisque potissimum versatur, inepta laude et supra modum efferre velle suspicetur, mihique, tanquam rem meam, quae cum studio politico nihil habeat commune, cupide commendaturo diffidat, is, precor, omnem abjiciat suspicionem, neque ante judicet, quam attente dicentem audiverit; tum vero sic judicet, ut et ipse omni liber sit cupiditate. Verumtamen in hac urbe Musis et Apollini sacrata, adeoque in amplissimo hoc con-

ses-

ſesſu virorum, artibus ac disciplinis humanioribus abundantium, vix aliquem fore arbitror, qui iniquis judiciis animum ſinat praeoccupari. Non me quidem praeterit, multos, imo etiam in patria noſtra, ubi olim philologiae ſtudium tam laete latoque efflorescebat, non paucos inveniri, qui vel propter rei difficultatem vel inscitiam ſuam hoc ſtudium contemnant et obtrectent, in verbis tantum, in literarum apicibus, in interpunctionibus, in meris tricis apinisque illud verſari dictitantes. Scio tamen etiam, prudentiorum ac liberaliter inſtitutorum hominum judicio longe id ſecus haberi, atque ita exiſtimari, cultisſimorum, quos ſol vidit, populorum doctrina et humanitate ſtudium illud contineri. Tantum utique abest, ut veterum linguarum cognitionem unice praedicem, et, veluti mater uniçam filiam, exosculer, ut eam ſine variarum ſcientiarum uſu nullam eſſe affirmem.

Cum vero conſtet pleraſque artes ac ſcientias a veteribus vel ad inſignem perfectionis gradum adductas vel feliciter inchoatas eſſe, equidem non injuria contendere mihi videor, literarum Graecarum Latinarumque ſtudium omnis doctrinae ſolidioris atque elegantioris principium eſſe et fontem, ideoque et reip. gerendae ſtudioſo praecipua ex hoc fonte petenda eſſe elementa. Imo ſive ingenii cultum ac doctrinam, ſive mores reſpiciam, quorum utroque reipublicae praefectus maxime cenſetur, tanta inde commoda ad ipſum pervenire intelligo, quan-

quanta haud scio an ad quemquam allum. Primum studio linguae Graecae ac Latinae, quibus nulla est neque veterum neque recentiorum linguarum politior et perfectior, nulla neque veterum neque recentiorum hominum curis magis illustrata et ad certas leges vocata, ad acuendum conformandumque ingenium nihil esse accommodatius puto, nihil uberius. In legendis enim et rite intelligendis auctoribus antiquis, si bono praeceptore utaris, nulla sententia, nulla vox praeteriri solet, quin ab omni parte, ut ita loquar, diu et accurate consideretur, et trutina velut examinetur; id quod in recentioribus linguis addiscendis fieri non solet, neque necessarium videtur esse. Ea vero verborum aestimatio sensusque investigatio sollicita, cum e sanis Grammaticae praeceptis, tum ex antiquis ritibus, institutis, sapientum placitis popularibusque opinionibus lucem petens, uti omnino ingenium exercet mirifice et excolit, judicioque nervos adjungit, sic quaevis deinde scripta intellectu reddit facilia, ac multiplices fructus ei praesertim affert, qui in scrutandis atque interpretandis legibus et edictis, tam antiquis quam novis, tam peregrinis quam patriis praecipuam operam positurus est, in quibus verum verborum sensum vidisse ad rempublicam bene gubernandam maximopere interest. Praeterea illi civitatis regendae candidato siquando ad bonum publicum edicta erunt proponenda, aut leges ferendae, quam praeclara scribendi

ſesſu virorum, artibus ac disciplinis humanioribus abundantium, vix aliquem fore arbitror, qui iniquis judiciis animum ſinat praeoccupari. Non me quidem praeterit, multos, imo etiam in patria noſtra, ubi olim philologiae ſtudium tam laete latoque efflorescebat, non paucos inveniri, qui vel propter rei difficultatem vel inscitiam ſuam hoc ſtudium contemnant et obtrectent, in verbis tantum, in literarum apicibus, in interpunctionibus, in meris tricis apinisque illud verſari dictitantes. Scio tamen etiam, prudentiorum ac liberaliter inſtitutorum hominum judicio longe id ſecus haberi, atque ita exiſtimari, cultisſimorum, quos ſol vidit, populorum doctrina et humanitate ſtudium illud contineri. Tantum utique abest, ut veterum linguarum cognitionem unice praedicem, et, veluti mater uniçam filiam, exosculer, ut eam ſine variarum ſcientiarum uſu nullam eſſe affirmem.

Cum vero conſtet pleraſque artes ac ſcientias a veteribus vel ad inſignem perfectionis gradum adductas vel feliçiter inchoatas eſſe, equidem non injuria contendere mihi videor, literarum Graecarum Latinarumque ſtudium omnis doctrinae ſolidioris atque elegantioris principium eſſe et fontem, ideoque et reip. gerendae ſtudioſo praecipua ex hoc fonte petenda eſſe elementa. Imo ſive ingenii cultum ac doctrinam, ſive mores reſpiciam, quorum utroque reipublicae praefectus maxime cenſetur, tanta inde commoda ad ipſum pervenire intelligo, quan-

quanta haud scio an ad quemquam alium. Primum studio linguae Graecae ac Latinae, quibus nulla est neque veterum neque recentiorum linguarum politior et perfectior, nulla neque veterum neque recentiorum hominum curis magis illustrata et ad certas leges vocata, ad acuendum conformandumque ingenium nihil esse accommodatius puto, nihil uberius. In legendis enim et rite intelligendis auctoribus antiquis, si bono praeceptore utaris, nulla sententia, nulla vox praeteriri solet, quin ab omni parte, ut ita loquar, diu et accurate consideretur, et *trutina velut examinetur*; id quod in *recentioribus linguis addiscendis fieri non solet, neque necessarium* videtur esse. Ea vero verborum aestimatio sensusque investigatio sollicita, cum e sanis Grammaticae praeceptis, tum ex antiquis ritibus, institutis, sapientum placitis popularibusque opinionibus lucem petens, uti omnino ingenium *exercet mirifice* et excolit, judicioque nervos adjungit, sic quaevis deinde scripta intellectu reddit facilia, ac multiplices fructus ei praesertim affert, qui in scrutandis atque interpretandis legibus et edictis, tam antiquis quam novis, tam peregrinis quam patriis praecipuam operam positurus est, in quibus verum verborum sensum vidisse ad rempublicam bene gubernandam maximopere interest. Praeterea illi civitatis regendae candidato siquando ad bonum publicum edicta erunt proponenda, aut leges ferendae, quam praeclara scribendi

di exempla praebebunt auctores antiqui, unde verborum aptum habere delectum discat, ne vel brevitate fiat obscurus, vel copia incertus; siquidem in his vel unum vocabulum a vera significatione aberrans maximorum malorum causa esse possit.

Sed idem ille non modo verborum pondera et notiones definitas explorabit, atque in rem suam convertet, sed totum quoque orationis habitum, ordinem, elegantiam, suavitatem; quibus ei tum praesertim usus erit, quotiescunque voce literisve in commune consulere aliquid, ad populum aut exterarum gentium legatos verba facere, et, quae patriae sint utilia, persuadere cupiet. Ad hanc vero rem ecquid ei fructuosius sit, quam assidua manu versare praestantissima veterum scriptorum opera? Quae, summa industria studioque elaborata, et ad exquisitam elegantiam ac vim polita, omnis eloquentiae copia sic abundant, ut nihil unquam limatius ac perfectius lucem vidisse docti semidoctique fateantur; imo ut minculque, qui insigniorem bene dicendi famam sibi comparaverit, ab illis purae pulcraeque dictionis fontibus rivos suos deduxisse confitendum sit. Inprimis autem in hoc genere commendari merentur orationes cum Demosthenis, Ciceronis, aliorum, tum illae, quae in optimis Graecorum Romanorumque historicis et poëtis occurrunt, quaeque a regibus, ducibus ac principibus de rebus summi momenti habitae sunt vel esse finguntur. Quae in his rerum digni-

tas!

tas! quod ſententiarum acumen! quae imaginum pulcritudo! quae vis! qui decor! quae majestas! ut nihil ad perſuaſionem deëſſe videatur. Itaque is, qui aliquando reipublicae praefuturus est, ſi jam inde a puero ad illa exempla totum ſe conformaverit, profecto nunquam eum, neque in alio quocunque ſermone, neque in vernaculo deficiet oratio, quin de unaquaque re perſpicue, ſuaviter et cum dignitate diſſerat. Hoc autem quam ſit ei necesſarium, vix opus est, ut commemorem. Tametſi enim ingenium ſit acutum, velox multaque doctrina *munitum*, *hoc*, quamvis eximium, parum tamen profuerit, niſi accedat oratio rebus ac*commodata*, quae quaſi pictura ſit, qua virtutes animi nudaque veritas propriis coloribus expreſſa et veluti viva ante oculos ponatur, ſuisque lenociniis atque incantamentis animos audientium aut legentium vel invitos ad ſe pertrahat.

Cum porro, ut antea jam monui, ſermo Graecus et Romanus tanta cura ſit excultus certisque legibus adſtrictus, et in utroque addiscendo tanta induſtria ac diligentia collocari ſoleat, quanta in nullo alio; iste praeterea fructus oſtenditur, ut, qui illas linguas bene didicerit, reliquarum omnium rationem facillime tenere poſſit, praeſertim earum, quae ex Latina maxime progenatae ſunt, et quibus propter cognationem tanta cum ea ſimilitudo est, ut ſine illius cognitione et ipſae ne cognosci quidem et intelligi recte queant. Patet igitur reipubli-

cae

cae praefecti, qui praecipuarum linguarum, quibus nunc utuntur homines, ignarus esse non debet, quantum interfit veteres illas rite callere; patet vero etiam mihi non deesse, quod respondeam iis, qui, magis, ut mihi videtur, laboris fugam, quam veritatem secuti, cum antiquorum scripta praecipuis recentiorum linguis versa exstent, odiosum scilicet illud veterum linguarum studium inutile esse et supervacaneum judicant. A quorum errore, ut lenissimo verbo utar, eo magis rationes meas sejungendas esse semper existimavi, quod, ut in alia quacunque lingua, sic maxime in illis veteribus multa reperiuntur vocabula et locutiones, quae ipsis ita sunt propria, ut aliis ea linguis reddere frustra speremus. Neque hujus rei ratio non est perspicua. Ut enim populus aliquis in plurimarum rerum varietate versatus est, ut rebus domi militiaeque gestis clarissimus, ut imperio divitiisque potentissimus, ut mercaturae studio, variis inventis, bonis artibus ac scientiis florentissimus, ut ingeniorum praestantia, morum comitate, sensuque pulcri et honesti excellentissimus; ita ejusdem populi lingua locupletissima est et perfectissima, plurimisque abundat verbis et dicendi formulis, quarum notionibus quae respondeant, vel saltem tota respondeant, in aliis linguis reperiantur nulla. Jam vero qui unquam populus rebus illis fere cunctis tantum enituit, quantum et Graeci, praesertim Attici, et Romani? Id norunt omnes, qui

qui utriusque gentis historiam attentiore animo perlustraverunt. Neque his ego mirum quidquam aut alienum dixisse videbor, si in utriusque nationis sermone multas inesse rerum notiones affirmaverim, quae alibi frustra quaerantur, nec nisi ipso sermone discendo intelligantur. Unde quid colligam, nemini obscurum esse potest, nempe literarum Graecarum ac Latinarum studiosos non modo inutili verborum pondere memoriam non onerare, quod nasuti isti persuadere nobis capiunt, sed praeter alia emolumenta hoc quoque sibi comparare, quod variarum *rerum intelligentia*, aliunde non acquirenda, *mentem* reddant locupletiorem ornatioremque. Quam utilitatem, (uti postea exemplo commonstrandi occasio mihi dabitur,) reipublicae praefecto, cum in genere, tum speciatim ad studia sua moresque egregiam esse nullum est dubium.

Quodsi vero ex veterum auctorum lectione nulli *fructus* perciperentur, nisi quos hactenus memoravi, excellens ingenii judiciique exercitatio, interpretandi facultas in legibus aliisque scriptis bene intelligendis conspicua, bene dicendi mobo, in addiscendis ceteris linguis facilitas, et notionum linguis antiquis propriarum copia; hi si vel uniei fructus, tamen maximi habendi essent et reipubblicae gerendae studioso vehementer expetendi, sed sunt alii *longe* majores. Qui cum ad doctrinam politicam propius pertineant, ut aequum de iis ju-

dicium faciamus, ipsa illa doctrina paulo accuratius consideranda est. Videlicet universe spectata duobus continetur locis praecipuis, quorum altero quaeritur, quale sit ac fuerit inter homines imperium, altero, quae sit imperii finis, natura ac ratio. Ille cum historiae studio penitus cohaeret, hic philosophiae propior est, ita tamen, ut, si recte tractare velis, saepius ad historiam recurrere & exempla inde atque argumenta mutuari necesse habeas. Utrumque igitur locum siquis probe tenere cupit, accurata ei & philosophica quadam antiquitatis historiaeque universae contemplatione opus esse perspicuum est. Quae singulis temporibus cujusque reipublicae fuerint opes ac praesidia, qui civium numerus, terrae ambitus et conditio, omnis generis proventus, quanti momenti mercatura, quae ratio aeraria, res militaris, alia; porro quae cujusque imperii forma, quibus legibus instituta, & qualia ejusdem administratio; haec omnia diligentissime sunt exploranda: neque mores, religionem, rem literariam & omnem omnino ingeniorum cultum atque habitum, nihil denique, quod ad salutem vel detrimentum reipublicae aliqua ratione conducat, intactum relinqui oportet. Atque ita veluti machinae artificiosae partes omnes, diversissime compositas et sibi invicem mirís modis inhaerentes, accurate examinare opus est. Iis vero rebus earumque effectibus observatis, ipsae quoque causae investigandae sunt, unumquod-

quodque publici commodi adminiculum vel impedimentum unde provenerit, quo fonte vel qua occasione quisque populus leges suas, reipublicae formam, judicia, reditus publicos, civium ordines, paupertatem vel divitias, foedera ac societates consecutus sit. Videtis, AA, hanc doctrinae partem ex rerum humanarum annalibus totam hauriri: neque, vel me tacente, non intelligitis, quantum indidem lucis affundatur & alteri parti, quae, priori, tanquam fundamento, superstruenda, jure & officiis cum imperantium, tum ceterorum civium, ex *ipsa societatis civilis natura* deductis, ac ratione imperii & *constituendi* & administrandi *continetur*. *Itaque ut rei* medicae studiosus *in* corpore humano cujusque membri, nervi, fibrae, omnis denique particulae naturam, facultates & usus observat, &, quidquid eorum vires impedire, aut, si defecerint, reparare possit, curiosius *indagat*, *id* maximopere agens, ut prosperae *infirmaeque* valetudinis causas deprehendat, quo facilius deinde remedia inveniantur; sic etiam ille civitatis regundae candidatus, si prodesse civibus sincere cupit, quaevis humani ingenii ad bonum vel malum publicum inventa, consilia, instituta, facta quaevis, ipsos naturae effectus, omnis tam infelicis quam prosperi eventus originem aliquisset, & e suis singula fontibus deducet, facta causis, eventus factis aptabit; unde rationes dein concludat, reipublicae, sicui praesturus est, saluberrimas.

Quae cum ita sint, dubitari non debet, quin hoc studium summos magistratus ambienti non modo utilissimum sit, sed perquam necessarium. Quo modo enim alicui populo proderit illius cura, qui in historia societatis humanae hospes est; quem fugiunt innumera illa publicae salutis curandae adjumenta, variis in regionibus ac populis ad hoc usque tempus adhibita? Ut singulari ille atque acutissimo vigeat ingenio, num experientiae superiorum temporum, ex historiarum fonte hauriendae, defectum eo compensare poterit? Non poterit: eam enim esse humanae mentis imbecillitatem cognovimus, ut non nisi pedetentim & veluti per gradus ad aliquam perfectionem enitì queat, atque, diu & longissime a vero aberrans, saepe syrtibus & scopulis misere impellatur, antequam rectum inveniat tramitem, & procedere in eo feliciter discat. Infortunatam sane rempublicam eam, ad quam viri accedunt, nulla praeteritorum saeculorum memoria imbuti! Quoties hi infirmitati humanae debitum solvent! Quoties coeptorum funestos exitus plorabunt! Quoties populus salutem suam temere in discrimen adductam flebit atque indignabitur!

Intelligitis autem, AA. HH., dum studium historiae, tanquam praecipuum doctrinae politicae subsidium, commendo, historiam veterem omnemque antiquitatem, e scriptoribus Graecis Latinisque cognoscendam, simul a me & praesertim commenda-

ri. Nulla enim historiae cognitio perfecta est, nisi partes omnes complectatur, quandoquidem res, ab humano genere inde a primis temporibus ad nostram aetatem gestae, perpetua causarum effectuumque serie tam arcte cohaerent, ut parte incognita nec reliquae penitus intelligantur. Deinde qui *populus in vasto orbe terrarum a mundi incunabulis* tantum inter ceteros caput extulit, quantum Graeci ac Romani? Quae, quaeso, tanta rerum omnium magnitudo in ulla alia eluxit gente? Quae tanta summorum virorum copia, *tanta ingeniorum animorumque praestantia* & nobilitas? Qui tantus amor patriae ac libertatis? *Quae tanta domi forisque* egregie factorum celebritas? Etenim quae fuit illa natio, quae parva manu innumeras Persarum copias terra marique profligavit, & imminens servitii jugum incredibili fortitudine a liberis cervicibus depulit? nonne Graeca? *Quae fuit illa natio*, quae ex porticu, ex Academia, ex Lyceo ceteris omnibus sapientiae *facem* praetulit? nonne Graeca? Quae fuit illa natio, quae artes ac scientias liberales ad tantum perfectionis gradum evexit, ut ipsius opera, divino quodam ingenio & arte elaborata, omnium saeculorum posteritati, tanquam optima ad imitandum exempla, proponi mereantur? nonne Graeca? Rursus quae natio, studiis quidem literarum & artibus illi proxima, at mascula & invicta fortitudine, animi magnitudine, amore patriae multisque virtuti-

bus maximis, victoriarum splendore, imperio per orbem terrarum dilatato, omnes antecellant? nonne togata illa? Sed utriusque gentis laudes, non dico, verbis aequare, sed leviter adumbrare, neque hujus est temporis, neque facultatis meae: meae, dico? imo nullius, nisi idem ore Graeco vel Romano loqui didicerit. Unum adhuc quaeram, quid causae sit, cur plurimi & nunc inveniantur, & semper inventi sint, qui istorum res gestas & instituta describenda atque illustranda susciperent? Nonne propterea, quod ibi omnia praeclara & magna reperirent, in quibus commemorandis exsultare, et indulgere inusitatis praeconiis possent, ut, qua admiratione ipsi abrepti fuerant, in eam aliorum quoque animos abriperent; denique, quae utilissima essent, non modo singulis hominibus, sed totis etiam civitatibus asequenda & fruenda propinarent?

Quae cum ita sint, ut sunt verissime, reipublicae gerendae studiosus nihil habere debet prius aut antiquius, quam ut inquirat, quibus tanta magnitudo initiis orta sit, quibus incrementis aucta, quibus praesidiis custodita. Illius enim causam singulari cuidam fortunae vel casui siquis tribuere velit, ineptus judicetur. Imo vero quicunque rerum causas diligentius investigare solet, satis perspicit, praestantissimae disciplinae cum publicae tum privatae, prudentiae militari & civili, sapientissimisque legibus et institutis praeclara ista maximam partem deberi. Jam vero ea,

quae

quae laudabam, Romanae Graecarumque civitatum praesidia unde optime cognosci possint, si quis me roget, parata est responsio. Legendi sunt ipsi auctorum veterum libri, evolvenda & indefessa manu versanda pulcerrima illa vetustatis monimenta. Spirat ibi mens Zaleuci, Charondae, Lycurgi, Solonis: spirat sapientia Socratis, justitia Aristidis, virtus Catonis. Exstant & paene ante oculos patrantur tot facta illustria, admiranda, humana, dicam, an divina? Paene ante oculos versantur Themistocles, Epaminondas, Thrasybulus, Timoleon, Bruti, Gracchi, Regulus, Scipiones, & tot alii, nomina vel ipso sono admirationem *veneration*emque *moventia*. Etenim cum apud veteres illas gentes praeclare facta, & egregia praesertim in patriam merita omni honore, coronis, statuis, columnis, literis ornari & ad posteritatem transmitti, neque iis tantum, qui fecissent, sed etiam, *qui facinora* aliorum digne scripsissent, eximia laus & praemia publica impertiri solerent, factum est, ut complures orirentur rerum gestarum scriptores excellentissimi, quorum libri, ut & reliquorum, ne poëtis quidem exceptis, pleni sunt summorum virorum praeconiis, pleni sententiis, pleni praeceptis & exemplis, ut ad vitam, sic ad civitatem regendam utilissimis. Imo non defuerunt, qui dedita opera varias gubernandae civitatis formas accurate digererent, & suis quamque limitibus circumscriberent, aut qui optimam quandam

ejus conſtituendae, normam ac rationem ingenioſe perſequerentur atque commendarent. At, qui iſta commentati ſunt, quales fuere viri? E ſchola, credo, atque umbratili disciplina, mercede operam collocantes? minime vero. Fuerunt plerique viri principes, vel in regum ducumque familiaritate & conſiliis, vel ipſi in maximis civitatibus regendis verſati, qui ſcriberent ea, quae vel ipſi feciſſent, vel coram fieri vidiſſent; quique adeo ad doctrinam ſcribendique facultatem rerum uſum ac judicium afferrent; qui praeterea nulla mercede, nulla gratia a veritatis ſtudio abducerentur. Tales erant, (ut paucos exempli cauſa nominem,) Thucydides, Xenophon, Plato, Polybius, Ariſtoteles; tales Cicero, Caeſar, Livius, Salluſtius, Tacitus, viri divino ingenio praediti, interioribus literis innutriti, admirandi, immortales.

Quemadmodum autem noster reipublicae gerendae ſtudioſus florem civitatum & in gloriae faſtigio poſitam magnitudinem obſtupefactus contemplatur, earumque firmamenta conſiderat ac praeſidia, ita, ut jam antea monebam, non minori cura perquirere debet vitia, quae ſenſim eas ſubverterunt, turpemque ſecum ruinam trahentia, de ſummo culmine fortunae deturbarunt; quaeque, quanto majus olim decus atque claritas exſtiterat, eo accuratiore diligentia explorari merentur. Igitur, cum aliarum rerumpublicarum, tum inprimis Graecarum ac Romanae varia fata, converſiones,

con-

concusſiones extremamque perniciem contemplando, cauſasque inveſtigando, utiliſſimis praeceptis animum ditabit. Nullum enim eſt fatum, nulla prope imperii forma, quam illae non ſubierint. Videbit quidem unumquodque imperii genus, ut ceteras res humanas, pro natura & conditione mortalium imperfectum, atque ſua cuique eſſe & bona & vitia: videbit autem ſimul in alio genere uberiorem eſſe facilioremque peccandi materiam, quam in alio. Neque enim cum quibusdam ſtatuendum putem, imperii bonitatem ex bona imperantium adminiſtratione unice pendere. Quod tantum abeſt, ut amplectar, ut, quamvis imperium vel prave conſtitutum, ſi ſapienter adminiſtretur, tolerabile eſſe concedam, bonam tamen adminiſtrationem apta ordinatione reipublicae potiſſimum comparari mihi perſuadeam. Cum enim, qui imperant, non ſimul cum inſignibus imperii induant divinitatem, neque obedientes, dum imperio ſe ſubmittunt, humanam deponant naturam, ſed omnes, ut mortales imbecilli ac leves, ad peccandum ſint proni, bona reipublicae inſtitutione cavendum eſt, ut quam minime utrimque peccetur, &, ſiquid mali obreperit, ut quam citiſſime queat reparari. O magnum ac praeclarum civitatis emolumentum, ſi, quicunque ei praepoſitus eſt, haec praecepta, diligenter expenſa, ad amplificandam populi felicitatem prudenter adhibeat! ſi ingentem illam reipublicae veluti machinam, quae,

uti alia quaevis machina, tempore ſolet atque uſu conteri, neque incuria neque abuſu collabi patiatur, ſed ſubinde emendet, & in meliorem ſtatum redigat!

Praeterea hic tiro noster obſervabit periculoſiſſimum illum ſcopulum, quo pleraeque reſpublicae naufragium paſſae ſunt, luxuriam dico morumque publicorum labem. Uti humano corpori nihil magis conducit, quam continentia ac temperantia, nihil magis nocet, quam vita praeter honeſtum acta; ſic ad ſalutem populis parandam atque conſervandam nihil unquam fuit praeſtabilius, quam ipſorum civium boni mores, juſtitia, humanitas, cum erga ſe mutua, tum erga alios populos; nihil vero pernicioſius, quam istarum virtutum contemtus. Qui, obſecro, populi certiora unquam hujus veritatis testimonia praebuerunt, quam ipſi illi, quorum fata ſcriptores antiqui memoriae prodiderunt? Utinam horum ſcripta diligentius, utinam a pluribus & ſaepius legerentur! Vix dubium eſt, quin ita civitates haberemus tranquilliores felicioresque. Quid enim cauſae eſt, cur exempla illa veterum populorum tam parum ad emendandam posteritatem valuerint; cur hac etiam aetate, qua ingenii humani ſollertia ad tantum accrevit faſtigium, morum tamen integritas piique animorum ſenſus fere deſiderentur, &, ſi gentes non paucae artibus ingenii & inventis veteres feliciter imitentur, nonnullis quoque antecellant, a vi-

vitiis tamen animi vel triſtiſſimo illorum exitio non deterreantur? Videlicet ea, quae mentis acumine perſequimur, uſu & doctrina facillus plerumque arripimus; ad virtutem tumus tardiores: illa, niſi ingenium prima praeſertim aetate neglectum ſit aut corruptum, ne teneamus, nihil magnopere eſt, quod impediat; hanc vero ne amplectamur, hujus amorem ne pulcris facinoribus testemur, inimicisſimae pugnant cupiditates, quas domare non leve est negotium. Quid autem? cum, perditi hominis profligatam fortunam funestosque exitus videntes vel audientes, ab his abhorrere & cavere ratio nos & natura jubeat; non etiam, ſi aliorum populorum fata in vulgus notiora eſſent, ſi maxime cives principes crebra recordatione meminiſſent, civitates, quamdiu bonis moribus uterentur, ſalvas exſtitiſſe & magnas, abjecta autem majorum ſimplicitate & virtute florem omnem ac potestatem amiſiſſe, foedaque tandem pernicie poenas luiſſe flagitiorum; non, inquam, hoc ad ſervandos ab infami peste mores ſalutemque publicam maximi ſit momenti?

Atque ita, AA. HH., delabor ſponte ad extremam orationis partem, qua probare mihi propoſueram, reipublicae gerendae ſtudioſi quantum interſit ad virtutem atque animi probitatem, accurate & prudenter legere auctores antiquos. Quandoquidem fortuna civium publica, perinde ac privata ſingulorum, cum moribus arcte conjuncta est, ad

exem-

exemplum autem eorum, quorum magna est in civitate auctoritas, ceteri omnes se componere solent atque conformare, quos, quaeso, magis oporteat ab impuris ac flagitiosis perturbationibus temperare, quam summos magistratus ac principes? Ab iis enim orta labes contagione populum solet inficere & ad posteros funestior in dies manare. Quamobrem quicunque summis reipublicae honoribus dignum se praestare cupit veramque felicitatem populo sibique parare, jam a prima juventute luxuriae, libidini, omnibus animi vitiis, bellum indicat castraque opponat firmissima: quam ad rem utique egregie comparatum est, quod iidem scriptores veteres utilissimi sunt, quos pariter ad poliendum ingenium doctrinamque juvandam tam praeclaros esse commonstravi. Non tantum, ut paulo ante dicebam, ipsorum veterum populorum historia, ab iis consignata, non tantum eorum, qui de officiis singulatim peculiaribus libris exposuerunt, sed omnium fere scripta, quae ad nostram aetatem pervenerunt, poëtarum quoque carmina & fabulae, ubicunque res ita fert, praeceptis affluunt & exemplis non modo non contemnendis, sed praecipua commendatione dignissimis. At hic audio quosdam nota crimina objicientes, quibus auctores illi, poëtae maxime premi solent, tanquam si juvenilibus praesertim animis valde sint noxii atque adeo pestiferi. Ad hos autem refutandos non multis verbis opus est.

Etenim

Etenim inter eos, quicunque ſcripta veterum recte intelligunt, ſatis conſtat, culpam istam minime pertinere ad omnes. Deinde eos, quibus jure haec macula inusta est, juvenibus legendos dari non ſolere, quis est, qui nesciat? Praeterea hoc tenendum est, multa veterum ſcriptorum loca temere obſcoenitatis damnata eſſe, quibus ipſorum interpretum laſcivia mentem obſcoenam ſubjecerit; id quod pluribus oſtendere exemplis, ſi neceſſe putarem, haud difficile eſſet. Igitur huic notae ſi egregii, qui ex veterum libris percipiuntur, fructus opponantur, exigui ponderis eam eſſe intelligemus. Contra quam multi istorum ſcriptorum, quidquid turpe est & ignominioſum, vituperando, quidquid utile et honestum, laudibus efferendo probum animum non modo declararunt, ſed vita quoque honeste & ſapienter acta comprobarunt! quod ipſum profecto legentibus ad commendationem virtutis eximium est.

Univerſam quidem morum disciplinam a veteribus illis traditam, ſi vel omnibus numeris abſolutam praedicare, vel ei, quam divinis Christi praeceptis fundatam poſſidemus, aequiparare velim, abſurdus ſim. Tamen negari non potest, quasdam virtutes & officia, quae hodie negligi fere ſolent vel parum commendari, accuratius a veteribus fuiſſe enucleata, uberius expoſita, diligentius & majori orationis commendatione inculcata. Hoc plurbus verbis oſtendere cum abſit a propoſito meo,

meo, unam modo & alteram memorabo earum virtutum, quae ad ſervandam valent ornandamque civitatem, & quibus antiqui morum doctores, cum omnia ad ſalutem reipublicae referrent, praecipuum locum adſignarunt. In his numeranda est magnitudo animi, qua qui praeditus est, res externas omnes, tam prosperas quam adverſas, tam aerumnas atque calamitates, quam imperia, divitias, otium, voluptatem, & quidquid eximium atque praeclarum vulgo habetur, deſpiciens, nullum hominem timet, nulla perturbatione animi abripitur, nulla fortuna de gradu dejicitur, atque adeo ad res magnas animosque gerendas ſponte incitatur, in iisque gerendis quaevis pericula, mortem ipſam, & ſiquid morte durius aeſtimetur, forti animo & conſtanti ſubire non detrectat. Haec virtus, quae in reipublicae praefecto & communis ſalutis propugnatore maxime quaerenda est, quaeque inſignem partem occupabat antiquae de officiis disciplinae, nonne a recentioribus ejusdem disciplinae magiſtris minimum videtur neglecta? Animi quidem demiſſio, cujus iidem diligentiſſimi fuere ſuaſores, admodum laudanda eſt; ſed niſi modesta eam aeſtimatione tui & honesta elatione temperes, in abjectionem atque timiditatem, quae rebus gerendis nequaquam apta est, facile ſolet degenerare. Itaque & ſapientis modestia, quaeque cum ea conſiſtat, elatio animi, convenire debent et amice conſpirare, ut exiſtat vera illa fortitudo & magnitu-

tudo animi, quae propulsat injuriam, pugnat pro aequitate & veritate, & magnis in patriam meritis arduisque facinoribus sive bellicis sive domesticis, pro republica patrandis, potissimum cernitur. Intelligitis, AA. HH., quam praeclara sit haec virtus, quam fructuosa generi humano, cum multas alias virtutes ex se gignat, easque mag..as & ad commune commodum excellentissimas. Huc pertinet amor patriae, qui qualis et quantus ab antiquis commendabatur? talis videlicet tantusque, qui omnibus praestaret caritatibus atque societatum vinculis, ut, si contentio fieret officiorum, patria praeferretur conjugibus, parentibus, liberis, amicis, quippe quas omnes una ea, veluti mater communis, complecteretur. Adjungo legum reverentiam & jurisjurandi religionem: illius Socrates, hujus Regulus exempla prodiderunt clara & singularia. Quae cum notissima sint, in iis enarrandis non demoror. Utrique, ut & alii complures, qui officium vitae praeferrent, quamvis facilis esset supplicii fuga, admirandis probant documentis, magnarum virtutum praecepta non tantum philosorum libris & sermonibus fuisse circumlata, aut fictis poëtarum fabulis oblectationis causa intexta, sed ita civium animis insinuata atque penitus infixa, ut ad utilitatem patriae re ipsa adhiberent & factis confirmarent immortalibus.

Tandem ad aliud venio commodum, quodsi pariter haud spernendum praedicavero, neminem ves-

vestrum mihi refragaturum esse existimo: urbanitatem dico, cujus expertem esse reipublicae praefectum nequaquam oportet. Praestantissima quidem ratio morum excolendorum recte ponitur in consuetudine juncta cum viris principibus, in quibus ipsis exquisita sit morum suavitas atque elegantia. At hujusmodi hominibus familiariter utendi quam rara datur copia! Quam exiguus quoque est numerus eorum, in quibus omnia, quae ad politiorem comitatem pertinent, conjuncta reperiantur? Quamobrem cum difficile sit juvenibus, certos duces eligere, aut quid sequantur, quid fugiant, dijudicare, nihil equidem, quod suadeam, novi praestantius, quam ut ab optimis scriptoribus opem petant, praesertim antiquis, quibus & in hac re palma tribuenda est. Etenim, quod recentioribus nunquam aut raro, hoc, uti jam observavi, plurimis contigit veterum, ut essent vel ipsi principes summique civitatum rectores, vel principum regumque comites & amici. Praeterea id fis fortuna dederat, ut in populis nascerentur cultissimis, iisque temporibus, quum summa floreret in sermone omnique cultu & victu elegantia, non mollicula illa aut affectata & arrogantiae plena, quam hodie multi falso pro venustate habent, sed ingenua, cum dignitate & cum illa, quam lepide Socrates optimum vocat odorem, καλοκἀγαθίᾳ amico vinculo sociata, (Graecam vocem, AA., excusetis, obsecro: est enim ex iis, quae neque La-

Latina neque alia lingua bene reddi possunt: animadvertatis autem, quam mirifice vox ipsa rem commendet.) Athenis quidem, in illo elegantiarum omnisque pulcri seminario, tanta in sermonis consuetudine nitebat venustas, ut in proverbium abierit sal Atticus, quo conspersi sermones, ut a dicacitate, a contumelia & asperitate, sic a blanditia & humili asscntatione perinde abhorrebant, singulari quidem lepore conditi, sed nemini nocentes & ad oblectandos ingenue honesteque animos unice comparati. Convivali quoque hilaritati admiscebantur carmina in laudem Deorum hominumque virtute excellentium, lectiones scriptorum laudatissimorum & alia, quae vocabant, acroamata, ut non modo palatum ciborum deliciis, sed animus quoque sapientiae gustu delectaretur, neque, quod de Platonis coena praedicabat Timotheus, vir illustris, in praesentia tantum coenae, sed & posteris diebus jucundae essent. Pariter Romanis sua erat urbanitas, quam cum lepore Attico licet comparare. Uti Athenas, sic postea Romam, quidquid elegans & venustum judicabatur, confluebat, civitatisque principibus, in omnium terrarum regionibus maximisque rebus versatis, omnia ea praesto erant, quae ad juvandam morum facilitatem sermonisque munditiam praecipua habentur. Quid ergo? Plurimum inde venustatis ac leporis in scripta veterum melioris aevi auctorum fluxisse dubitemus? Certe dubitabit nemo, nisi qui scripta

illa nunquam, ut attente legeret, manu contrectavit, ideoque cum ipsis auctoribus nullam, ut sic loquar, familiaritatem contraxit. Itaque si Alcibiades, Pericles, Augustus aliique viri summi rebusque publicis praefecti consuetudinem cum illis institutam honori sibi duxerunt, nos eam fugiemus? Fugiemus Platonis, Xenophontis, atque adeo, qui in horum operibus adhuc vivit, Socratis; fugiemus Ciceronis, Caesaris, Virgilii, Horatii consuetudinem, quorum in ore & labiis ipsae Musae Gratiaeque videntur insedisse? At non desunt exempla neque in nostra neque in aliis civitatibus virorum in re civili clarissimorum, qui antiquitatis studio maximam otii partem dicarent, quippe quantum inde utilitatis caperent, haud ignari. Cui vestrum, AA., hic non ultro in mentem venit illius, qui non dico hujus reipublicae, sed Europae atque orbis universi lumen merito appellatur, Hugonis Grotii, cujus memoriam piis omnium animis penitus insidere mihi persuadeo. Hunc virum in omni doctrina excellentem, juris publici constituendi principem & auctorem, eundemque in republica bene gerenda summum, qua alia mente atque consilio tantum studii in veterum librorum lectione & interpretatione collocasse putatis, nisi ut inde fructum non oblectationis, sed utilitatis quaerens, ad rempublicam accederet in eaque versaretur instructior ornatiorque? Plures ego viros egregios, qui & nostra memoria summis

in patria honoribus conſpicui reipublicae diſciplinam cum literis humanioribus feliciter junxerunt, jam non nomino, cum eos cognoscatis omnes, debitaque nunc admiratione praeclarisque judiciis, uti confido, taciti proſequamini.

Itaque his exemplis, licet rarioribus, incitemini vos, quicunque ad rempublicam aliquando capeſſendam adſpiratis, imo vos omnes, qui doctrinae, morum urbanitatisque praecipuam laudem appetitis. Te inprimis, Juventus patria, monere liceat, ut diligenti veterum auctorum lectione ad pulcra quaevis & honesta animum informes. In te ſpes omnis felicitatis futurae ſita est; in te *omnium oculi ſunt* converſi. De communi patria, quae unicuique noſtrum cariſſima eſſe debet, quid tandem fiet, ſi tu luxuriae vinculis capta inertique otio ſopita jaceas, aut pravis dedita cupiditatibus rempublicam negligas, non civium, ſed tuis tantum *commodis* proſpiciens? Quid aliud ominari licet, quam univerſae civitatis peſtem ac ruinam foediſſimam? Vestrum, Parentes, & quicunque educendae juventutis curam geritis, vestrum inprimis officium est id agere, ut a tenera inde aetate pueri bonis literis innutriantur, ducibusque maxime ſcriptoribus antiquis, quorum tanta praeſtantia est, ad omnia praeclara, ad ſolidam & eruditionis & virtutis gloriam inflammentur. O Patria mea, quantam ego felicitatem tuam praedicem, ſiquando ex Gymnaſiis tuis plurimi prodeant

viri, qui, germana doctrina imbuti summisque virtutibus praediti, publicae salutis tuendae & facultatem habeant & voluntatem! O fata aurea, omnium votis expetenda, & sub auspiciis amplissimorum reipublicae Procerum, uti haud temere augurari mihi videor, eventura! Quod augurium utinam summus rerum Arbiter faciat ratum!

His peroratis ad ea venio, quae si praetermitterem, contemtae violataeque humanitatis in me merita caderet suspicio. Quare prius ex hoc suggestu descendere religio mihi est, quam vobis, hujus urbis Magistratus summi, viri honoratissimi, vobisque scholae Curatores, viri eximia & probitatis & doctrinae laude conspicui, sensum animi gratissimi paucis quidem verbis, sed sincero pectore depromtis, publice testatus fuero. Vobis & magna & multa me debere confiteor. Ecquid enim unicuique nostrum dulcius sit communi patria? cujus tamen caritate, nescio quomodo, vehementius trahi tum solemus, cum ea caremus, quam cum assidue fruimur; perinde ut bonae valetudinis sensu magis delectantur ii, qui morbo aliquo defuncti sunt, quam qui firmo semper corpore viguerunt. Id equidem expertus novi, atque penitus sentio, qui per hoc decennium a solo patrio abfuerim, cui vos autem, viri spectatissimi, ad suscipiendum hujus Gymnasii regimen evocato patriam, & quaecunque in ea sunt jucunda atque egregia, reddideritis. Neque enim illud amplector, nec probandum

dum censeo, quod in proverbio est, ibi patriam esse, ubicunque bene. Quamvis enim ab ea civitate, in quam benigna me fortuna detulerat, omni humanitate atque amore fuerim receptus, & eximia eaque non interrupta omnium existimatione honoratus, quamvis ibi amicos fide & constantia insignes nactus, quorum ex consuetudine & jucunda & utili multos fructus capere licuit, quorum idcirco gratam memoriam ex animo numquam elabi patiar; tamen alia si spectem, meo quidem sensu atque judicio quam multa habet patria ad vitam bene jucundeque agendam haud paulo praestantiora! quorum tacitum absens desiderium numquam opprimere potui nec volui. Qui splendor ac celebritas urbium! quae fertilitas agrorum! qui nitor & magnitudo pecudum armentorumque! quae amoenitas & magnificentia villarum! quae opes, quae munditia, quocunque oculos verras! quam egregia instituta cum ad doctrinam, tum ad commune bonum ac rempublicam spectantia! His ego quod denuo & majore cum voluptate nunc fruar, vestrum beneficium est. Neque hoc tantum, sed & alia praebuistis non minus mihi grata atque utilia. Quid cuique amabilius & ad consolationem suavius, quam ii amici, quibuscum inde a primo aetatis flore morum similitudine bonorum junctus consueverit, quos in omnibus rerum vicissitudinibus cognitos atque probatos habeat? Hi divino quodam munere mihi tales obtigerunt, ut neminī

viri, qui, germana doctrina imbuti summisque virtutibus praediti, publicae salutis tuendae & facultatem habeant & voluntatem! O fata aurea, omnium votis expetenda, & sub auspiciis amplissimorum reipublicae Procerum, uti haud temere augurari mihi videor, eventura! Quod augurium utinam summus rerum Arbiter faciat ratum!

His peroratis ad ea venio, quae si praetermittetem, contemtae violataeque humanitatis in me merita caderet suspicio. Quare prius ex hoc suggestu descendere religio mihi est, quam vobis, hujus urbis Magistratus summi, viri honoratissimi, vobisque scholae Curatores, viri eximia & probitatis & doctrinae laude conspicui, sensum animi gratissimi paucis quidem verbis, sed sincero pectore depromtis, publice testatus fuero. Vobis & magna & multa me debere confiteor. Ecquid enim unicuique nostrum dulcius sit communi patria? cujus tamen caritate, nescio quomodo, vehementius trahi tum solemus, cum ea caremus, quam cum assidue fruimur; perinde ut bonae valetudinis sensu magis delectantur ii, qui morbo aliquo defuncti sunt, quam qui firmo semper corpore viguerunt. Id equidem expertus novi, atque penitus sentio, qui per hoc decennium a solo patrio abfuerim, cui vos autem, viri spectatissimi, ad suscipiendum hujus Gymnasii regimen evocato patriam, & quaecunque in ea sunt jucunda atque egregia, reddideritis. Neque enim illud amplector, nec probandum

dum censeo, quod in proverbio est, ibi patriam esse, ubicunque bene. Quamvis enim ab ea civitate, in quam benigna me fortuna detulerat, omni humanitate atque amore fuerim receptus, & eximia eaque non interrupta omnium existimatione honoratus, quamvis ibi amicos fide & constantia insignes nactus, quorum ex consuetudine & jucunda & utili multos fructus capere licuit, quorum ideirco gratam memoriam ex animo numquam elabi patiar; tamen alia si spectem, meo quidem sensu atque judicio quam multa habet patria ad vitam bene jucundeque agendam haud paulo praestantiora! quorum tacitum absens desiderium nunquam opprimere potui nec volui. Qui splendor ac celebritas urbium! quae fertilitas agrorum! qui nitor & magnitudo pecudum armentorumque! quae amoenitas & magnificentia villarum! quae opes, quae munditia, quocunque oculos vertas! quam egregia instituta cum ad doctrinam, tum ad commune bonum ac rempublicam spectantia! His ego quod denuo & majore cum voluptate hunc fruar, vestrum beneficium est. Neque hoc tantum, sed & alia praebuistis non minus mihi grata atque utilia. Quid cuique amabilius & ad consolationem suavius, quam ii amici, quibuscum inde a primo aetatis flore morum similitudine bonorum junctus consueverit, quos in omnibus rerum vicissitudinibus cognitos atque probatos habeat? Hi divino quodam munere mihi tales obtigerunt, ut neminī

meliores & certiores. Hos igitur mihi, & me his quodammodo restituistis, ut certe propior factus sim, aditusque mutui faciliores. Quantus autem inde voluptati meae cumulus accedit, quod in urbem me evocastis, & situ amoenissimam, & liberalissimis artibus ac scientiis affluentem, cujus etiam in vicinitate celeberrima splendent Musarum templa, ut e clarissimis doctrinae sapientiaeque oraculis, quibus circumdor, uberrimos ad studia mea fructus redundaturos liceat sperare. Denique, viri egregii, & hac spe me erigitis, mihi fore, unde saluti fortunaeque liberorum & cunctae rei familiari melius prospiciam. Pro quibus bonis tot ac tam eximiis si tantam ego gratiam referre non potero, quanta debetur, tantam tamen semper habebo, quantam maximam animus meus capere possit. Idem vero sic existimo, me animum revera gratum nullo pacto significare posse melius, quam si id omnibus nervis operam dedero, ut exspectationem, quam de me conceperitis, strenue tuear; si curavero, ut in obeundo munere, quod honorificis conditionibus ad me detulistis, reperiar assiduus ac diligens, & quaecunque huic eruditionis juventutis Gymnasio & decori & emolumento esse possint, pro virili parte coner efficere. Quod dum ago, vos, viri spectatissimi, quorum benevolentiae varia eaque tam luculenta expertus sum specimina, vos, precor, mihi bene cupere ne desinatis; vester enim favor, vestra voluntas ope-

operae mihi erit merces longe suavissima. Deum Opt. Max. oro, ut vos in omni re praesens propitiusque juvet, & efficiat, ut hoc bonarum literarum seminarium, vestrae fidei & curae permissum, in dies majora capiat incrementa celebritatis!

Nunc ad vos orationem converto, quibus mecum docendae juventutis cura demandata est, viri eruditissimi. Unum nobis consilium esse debet, unum studium ac voluntas, ut nempe & praeceptis & exemplo nostro aetatem puerilem ad humanitatem informemus, tenerisque animis bona semina virtutis committamus. Quum vero, uti saepe, dum parvi sunt ac tenues, ad quamvis normam facile flecti, ab ea vero, quam semel assumserunt, adulti nequaquam se reduci patiantur; sic tenera puerorum ingenia, quidquid semel sive bene sive prave arripuerunt, postea non facile, saepe numquam soleant dedidicere: inde manifestum est, cum ad privatam civium salutem, tum ad rempublicam, cujus in bona juventutis disciplina spes omnis posita est, quantum intersit, quibus praeceptis ab ineunte aetate quisque imbuatur, quae exempla ante oculos habeat quotidie; inde etiam nobis, viri doctissimi, quid de gravitate & amplitudine muneris nostri existimandum sit, dubium esse non potest. Itaque ut officii fines, qui nobis propositi sunt, feliciter teneamus, quid optabilius sit aut magis necessarium, quam ut junctis semper viribus agamus, ut ad idem opus eandem voluntatem, eadem

dem ſtudia conferamus, atque ita felici animorum conſenſu junctoque amicitiae vinculo in communi ſorte nunquam non conſpiremus? Hoc autem quod attinet, gratulari mihi poſſum, qui vos, viri doctiſſimi, collegas nactus ſim, in quibus & animi & ingenii bona eſſe excellentiſſima compertum habeo. Data igitur & accepta fide mutua ne unquam foedus illud amicitiae concordiaeque, quod inter nos conſtare aequum eſt, frangi ſinamus; certe a me ne hoc fiat, fedulo ſemper faciam.

Vos denique compello, lectiſſimi Juvenes, diſcipuli cariſſimi, quorum commodis quam optime conſulere & debeo & vehementer cupio. Ut autem vobis in literarum ſtudiis facilem me ducem praebeo, ſic veſtrum eſt, debita docentem attentione proſequi, & privata induſtria ac labore, ſine quo parum praecepta noſtra valebunt, diſcipulis, quantum in vobis eſt, incumbere. Hoc igitur moneo, me capitalem eſſe inimicum deſidiae, quam quidem in nemine alio, ſed minime in juvenibus tolerandam cenſeo, quamque ut ingenuo homine prorſus indignam, ut infamem ſcopulum, quo complures turpe probitatis officiique naufragium fecerunt, vobis remisque evitetis, etiam atque etiam obteſtor. Cogitate, quaeſo, cogitate ſaepe & ſerio de officiis, quae Deo, patriae, parentibus vobisque debetis. Hoc autem debetis omnibus, ut non modo Muſarum ſacris, ſed & verae religioni

gioni pietatique animos conſecretis. Nam rerum ſcientia, uti egregie monet Plato, ſi virtute caret, calliditas magis appellanda est & quidvis potius, quam ſapientia. Utraque igitur conjungatis, & virtutem & literas; utrisque aſſiduam operam navetis. Ita arduam, quae ad ſplendidum Gloriae templum ducit, viam feliciter calcabitis, Deoque & hominibus grati, cum cetera ſint fluxa & fragilia, bona vobis comparabitis clara & aeterna.

POËTICA.

ODE

AD

REINHARDUM BARONEM VAN LYNDEN,

VIRUM NOBILISSIMUM,

QUUM FILIUS

AYZO BOELENS,

QUEM DISCIPULUM HABEBAM

EGREGIUM ET CARISSIMUM,

Anno aetatis decimo tertio diem obiisset,

Non audit ullas, (sic placitum Deis,)
LYNDENE, voces dura Necessitas,
Nec, pauperum quae strata visit,
Nobilium rutilas veretur

In-

Intrare ſponsas. Vix mea lumina,
Felix ademta conjuge, deſerit,
Et juſſit o! quam cara flentem
Luctibus inſolitis perire;
Jam vestra miscet heu! laquearia
Terrore dito, laedere pertinax,
Faustoque non contenta ſolam
De thalamo rapuiſſe nuptam.
Plaga laborant pectora duplici
Confoſſa; ploras & ſobolem, pater,
Plorant bonique omnes, peremtam
Praecipiti nimium ruina.
Quantum venusto cum puero ſpei,
Mentis pudicae quae generoſitas,
Quae, magna jamdudum minantis,
Ingenii bona conciderunt!
Quodſi virenti tangere firmius
Aevum dediſſet Rex hominum & Deum,
Spectâſſet augusto decore
Conſpicuum ſtupefactus aether.
Seu mens fuiſſet pectora Martio
Durare bello & quaerere vulnera;

Seu

Seu forſan in partem vocâſſet
Conſilii trepidans Senatus;
Senſiſſet omni Patria tempore
Justi tenacem, & rebus in arduis
Erectum, ut hinc atque inde ponto
Saxa tonante ſuperbiora.
Lugent alumnum Thespiades: jacent
Tristes corollae mutaque barbitos,
Planctusque per Pindum volutat
Flebiliter geminans imago:
Vixit, futurum quem ſibi vindicem
Blandae fovebant, nobile qui patriæ
Ardens ad exemplum, tueri
Laurigeras properaret aras;
A ſaeculi qui fraude reduceret
Pubem Batavam, nil prius arguens
Virtute, majorumque ceris
Atque Arabum potiore gazis.
Tantas recidit ſpes Lacheſis rapax;
At non minores, (ne nimium gemas,)
In juniori nunc ſuperſunt,
Quem, precor, incolumem parenti

Natum reſervent Numina. Leniet
FRANCISCUS ingens, quod pateris, malum,
Jamque inter aequalem nitebit,
Teucer ut Ascanius, juventam,
Virtute clarus, clarus & artibus,
Dignusque magnis ille nepos avis.
Quid flemus, AYZONEMque Divos
Aſſidua precе flagitamus?
Hic, matris almae dum gremio ſedet,
Fulgente cinctus tempora ſidere,
Beatus irrorat labellis
Nectareum roſeis liquorem.

FRANEKERAE d. IX. Martii
a. CIↃIↃCCXCII.

ODE

ODE

AD CIVES,

QUUM PAX INTER BORUSSORUM REGEM ET REM-PUBLICAM GALLICAM COMPOSITA ESSET BASILEAE

DIE V. APRILIS ANNI CIↃIↃCXCV.

Gaudete cives! nunc ter io ſonet
Laetum per auras! nunc pueri canant,
Nunc liberae metu puellae
Voce Deûm citharaque laudes!
Juſſu Tonantis, qui rutilum polum
Terrasque moto vertice concutit,
Ad regias proceſſit arces
Pax oleae veneranda ramo:
Regnator, inſit, magne Borusſiae,
Martis tot annos dira licentia
Gentes fatigat: quam cruentis
Caedibus oceanus rubeſcit!

Quam multa Rhenus gurgitibus virûm
Devolvit atris inclyta funera!
Calcata late ſpem gementis
Jugera decipiant coloni.
Non ignis aeque corripit aridum
Totumque flammis involvit nemus,
Euro furente; non & amnis
Altior aggeribus revulſis
Proſternit aeque cum ſtabulis pecus,
Meſſemque largam, dum trepidat procul
Pastor; beati ut culta ruris,
Ut Rabies populatur urbes.
Neglecta furvae Perſephones parens,
Liberque, pulcra conſpicuus coma,
Duris dolent ultura ſpretos
Numina ſuppliciis honores.
Non, non iniqua pauperie & metu,
Non cuncta fas eſt ſanguine longius,
Vaſtisque miſceri ruinis.
Ecce tibi viduaeque matres
Parvique nati languida brachia
Tendunt; tuae ſolatia flagitant

Cui

Curae, pietoni qui benigno
Pectora celsa cales amore.
Communis orbi ceu pater otium
Fer luctuoso: fer nitidum diem
Pulsis tenebris. Sic vitas
Accumula, Friderice, laudes.
Quid ipse, miles quid valeat tuus,
Hoc bellicoso rapta Moguntia
Testatur hosti, & Lutra vestris
Conscia nobilibus triumphis.
Sat gloriosae militiae datum est.
Ferri minantis comprime fulmina;
Mox pacis in tranquilla gentes
Foedera conveniet amicae.
Fides redibunt, almaque Faustitas,
Magnique menses te duce denuo
Diti coruscabunt metallo.
Saepe decet latuisse fortem:
Nec semper in pugnas rapit asperum
Virtus leonem inuncus; nec impiger
Exercet in praedam feroces
Assidue Jovis ales ungues.

Saepe est superbo parcere viribus
Majus triumpho. Clarior hinc manet
Te palma, quam si victor addas
Finibus Hesperiis Eoos.
Haec ore profert ambrosio Dea,
Divinum odorem longa per atria
Spargens: eunti blanda surgunt
Lilia sub pedibus rosaeque.
Eamus omnes, & patriae patri
Grata ligemus tempora laurea,
Meretur immortale donum,
Numina qui Superûm secutus
Discordiarum perdomuit faces,
Illustris ultor, qui, miserans mala
Mortalium, Paci beatae
Magnificas reparavit aras.
Vicinus armorum, ut tonuit fragor!
Quantus tumultus! quantus erat metus,
Ne caede commissae phalanges
Amisiam inficerent propinquum!
Cum prole cara contremuit minas
Matrona saevas, castaque virginum

UNIV. OF CALIFORNIA

Praecordias uli! fugam parantes
Attonitae ſtupuere Muſae.
Valete curae! jam ſaeies redit
Jucunda rebus; jam redit artibus
Honos, & Aſtraeae fugaci.
Religio veneranda templis
Gaudet refectis. Quin vacui metu
Formoſiores veris eunt dies,
Dum ſpe nova meſſis futurae
Agricolam ſatis laeta mulcent:
In cujus adventum mulier parat
Dapes inemtas ſedula, nec, velut
Quondam, ſuo fletu rigatas,
Ludere cum roſea juventa
Geſtit ſenectus; & ſuboles parens
Laetatur in ſpem eresceere ſaeculi
Felicioris. Mater, o! quae,
Quae tibi tanta fubit voluptas,
Amplexa natos & reducem virum,
Functos Gradivi ſanguineis feri
Laboribus, quos non ſubire
Pro patria timuere cara!

(Quos hausit ensis funere splendido,
Coeli beatis consecrat atriis,
Lauroque & aeternis tropaeis
Gloria condecorat merentes).
Quid dicam, omissos heu! nimium diu,
Lusus amantum, dulciaque oscula,
Amica pacis, lampadasque,
O Hymenaee, tibi resumtas?
Jo, ter io! solvite debita
Nunc vota Divis: nunc vigeant chori
Cantusque; nunc spumet vetusto
Non sine flore calix Lyaeo.
Capaciores fer cyathos, puer,
Fer dulce nectar, fer violas mihi.
Adeste Risus, Gratiaeque!
Corda novo rapimur calore.
O propria haec sint gaudia! Gentibus
Commune templum, o! surgat amabilis
Concordiae, non vi nae ullis
Unquam inimicitiis premendum!

LINGAE d. XXVIII. April.
a. CIƆIƆCCXCV.

ELE-

ELEGIA.

DESIDERIUM PACIS.

O ſacrum nemus, o noſtrae loca conſcia Muſae,
Seu meditans lusit ſeria, ſive jocos,
Dum licet, & rabidis dum Mars procul intonat armis,
Nec vitiat flores pugna cruenta tuos,
Abdere me cupio ſecurus avius antris,
Quo tua pax, quo me denſior umbra vocat.
At mentis non contineo properantis habenas,
Provolet umbroſis quin vaga porticibus,
Et longe fera caſtra petat contraria caſtris,
Oppoſitasque acies, qua Furor arma rotat.
Quamlibet abſentis mortales pectora tanguut
Luctus, nec lacrymas non tenuiſſe pudet.
Una omnes Natura parens complexibus ambit,
Et probat, alterno ingemuiſſe malis.
Qua ſe cunque adeo latiſſimus explicat orbis,
Fletibus haec noſtris maxima ſecta patet.

Pace vigent artes & Amor dulcesque Hymenaei:
  Fecunda laetus Pace renidet ager.
Ambrosio jacit illa sinu nimbosque rosarum,
  Et, quantae rumpant horrea, messis oper,
Quae tandem, quae vestra, Duces, est gloria? quidve
  Praecipiti studio mens agitata petit?
Cernitis ingentem miserorum crescere turbam:
  Clarior ut vobis nempe triumphus eat.
Illa triumphales lacrymis luctuque quadrigas
  Insequitur; causas quisque doloris habet.
Hos premit exilium, hos tetra caligine carcer,
  Pauperies illos & malesuada fames.
Haec subolem, haec fratres, raptos pars illa parentes,
  Conjugii exstinctas objicit illa faces.
Nuper ego Laurae vidi moerentis ocellos;
  Vidi; sed mihi mens nubila tota fuit.
Hei mihi! qualis erat! macies adduxerat artus,
  Grataque virgineo fugerat ore rosa.
Languescunt oculi turpes; Amor unde solebat
  Ardorem in faculas addere saepe suas.
Hanc Venus a teneris Macro conjunxerat annis.
  Una aetas & mens una duobus erat.

Ambo

Ambo formosi: quanta haec Charis, at vigor illi
Formaque Phoebeo plena decore fuit,
Et jam spes juveni, cui rident vota parentum,
Sponsam felices accipere in thalamos.
Invidit Lachesis! Dum ardentius imminet hosti,
Fatalis carum dividit hasta caput.
Ex illo fugit humanos miseranda puella
Conspectus; & sunt unica vota mori.
Rursus plangentem vidi sua pectora matrem,
Et flentem vidui tristia damna toti.
Adstant lugentes nati: pater, ah! pater, omnes
Nequidquam ingeminant, optime, vive, pater!
Ast hunc ex agris profugum laribusque paternis,
Qui versi in cineres, rudera moesta, jacent,
Neve egeat suboles & conjux cara, verentem
Oppressit lento funere saeva fames:
Et nunc, quo miserum fati jactaverat ira,
Longinqua exiguo pulvere terra tegit.
Illa per ignotas cum prole miserrima gentes
Errat, & invisam vix trahit aegra animam.
Durorum o nimium species horrenda malorum,
Queis melior terrae pars labefacta dolet!

Haec

Haec utinam moveant praecordia vestra! nec alma
Dulce, (precor supplex,) semnitè pacis opus!
Parcite, jam nimium quassatis, parcite rebus,
Otiaque Europae reddite, bonum decus!
Pulcrior inde manet, vultis quam à culmine regnis,
Vos honor; ad mensas evehet ille Deum.
Jamque vale, mihi dulce nemus, te dante levamen
Huic animo, quamvis moesta, Thalia tulit.
Scilicet est aliquid, tuta lugere sub umbra,
Liberaque excusso pectora verba loqui.
Haec maneat tibi blanda quies! persetque, scelestus
Qui velit impurus te violare manu!

ELINGAE d. VII. Julii
a. CIↃIↃCCXCIX.

ODE

ODE

AD

FRIDERICUM GUILIELMUM III.

REGEM BORUSSIAE

POTENTISSIMUM CLEMENTISSIMUM, ARTIUM SCIENTIARUMQUE PATRONUM SUMMUM,

CUM OMNIBUS ACADEMIIS GYMNASIISQUE SUIS TABULAS ASTRONOMICAS BODIANAS, ACCURATISSIME PULCHERRIMEQUE DESCRIPTAS, DONO MISISSET.

O saecli decus inclytum,
O Rex, magnanimis digne Nepos avis,
Te nascente Deûm chorus
Implevit celebri laetitia polum.
Major Pieridum tamen
Plausus personuit, terribiles licet
Bellator quateret Deus
Cristasque & gladios & clypeum gravem.

Tu

Tu fortes animos, ſtatu
Quos non Herculeus dejiciat labor
Devotos populi bono,
Raro conſilii munere temperas:
Mira Tu ſapientia
Multaque arte potens, qua ſine maximae
Vires mole ruant ſua,
Firma fraena tenes imperii manu.
Fortunata ter & quater,
Quae gens cunque Tuis auſpiciis ſubest!
Te dante otia civibus
(Orbi diſidiis exitialibus
Distracto dare quae paras,
Almae pacis amans,) nobiliſoribus
Florent ingenia artibus;
Quarum illustre decus non Garamantides
Gemmae, non ſuperat liquor
Pactoli rutilus, pompave ſplendidum
Conſcendens Capitolium.
His fax lucidior ſcilicet artium,
Delata aetheria domo,
Aeternis animos auget honoribus;

Pul-

Pulcra & luce viam notans
Coelestem ad patriam ſideraque ardua,
Depreſſas humili loco
Mentes ordinibus conciliat Deûm.
Inſani pereant! quibus
Inſontem populum, pectora libera,
Foedae ſub juga inertiae
Crudeli placuit mittere cum joco,
Cognatosque animos polo
Lentis deſidiae claudere vinculis,
Tardos tutius ut premant:
Quorum ſanguineum muta odia & tremens
Circumſtat ſolium metus,
Non fidi comites. Rex bone, conſulis
Quanto tu melius tuis!
Cuicunque ingenio afflavit Hyantia
Flammas Muſa ſacras, foves,
Dignarisque cedro ſcripta merentia.
Lenes hospitium Tuum
Quaerunt ſponte novem cum Chariſin Deae,
Quarum templa ſuperbiunt
Donis pulcra Tuis. Uraniae ſacras

Tes-

Testamur tabulas, recens
Suſpenſum nitidis parietibus decus.
Quis divini opus ingeni,
Mirari artifices deſinat aut manus,
Deſcriptum radio polum?
Nam perfectius aut comtius hoc nihil
Rorem Pegaſeum ſapit.
Quas inter placidos Aſyrius greges
Puro vespere, lucidis
Diſtinctas facibus, vidit imagines
Pastor; quas pavidus Tyro
Licta dum Cyprum nauta ſecat mare,
Aſtris vela regentibus;
Quas finxit Pharii cultor Oſiridis,
Et quas docta venuſtius
Hellas; quaeque ſuis diſpoſitae locis,
Jucundos agitant choros.
Quascunque aetherio vertice penſiles
Librat magna Jovis manus,
(Vidit ſive Thales, ſive Lalandius,
Herſchelusve, ſtupentibus
Admoviſe oculis ſidera nobilis,)

Omnes

Omnes cura ſagax Bodi
Dimenſis ſpatiis lampadas ordinat,
Signatisque jubet viis
Furvos ſomniferae matris equos ſequi.
Claro hic fulgure baltei
Orion micat, hic gratia Caſtorum
Felix; hic videas bonum
Ultorem innocuae Perſea virginis,
Illic Herculeum jubar.
Quam digne auget Avi pulcer honos Tui
Heroum inclyta nomina!
Et terrena ſuper nubila, & aureis
Mixtus luminibus, ſinus
Immenſos liquidi penetrat aetheris,
Genti propitium ſuae,
Dignandumque ſacris numen honoribus!
Et Te, Te, patriae Pater,
Stellis posteritas aequa micantibus
Adſcriptum venerabitur.
Pergas interea condere ſaecula,
Quae non alitibus potens
Augustus Latio candidioribus,

Non & Cecropidis tulit

Conjux Aſpaſiae clarus Ioniceae

Tantum, ne renuas, Tua

Cum laeris oleae tempora vinciant,

Quas nectit pia civitas;

Et festis epulis, dum Tua nomina

Flagrans ingeminat favor,

Grati purpureum florigeris merum

Libemus Tibi cymbiis,

Oramus: utinam Tu Superûm in domos

Serum penna levis vehat!

Hic Tu, noster amor, nostra salus, diu

Regnes, laetus & otia

Felici tribuas longa Britannis!

LINGAE d. XXV. Jan.

CIↃIↃCCC.

ODE

AD SODALES,

CUM RESPUBLICA FRANCOGALLICA ET BRITANNIA EARUMQUE SOCII MUTUAS FUTURAE PACIS CONDITIONES INISSENT

Cum per Aegaeas equitavit undas
Africus, furvis violentus alis,
Et fata & sylvas ruit & superba
Turbine templa,
Sic redit coelo placidum soloque
Otium, solvens animis pavorem;
Nunc ut humanas miserata clades,
Blanda Dearum,
Pax fugat longi Furias duelli,
Liberasque urbes & amoena rura &
Regna Neptuni nivels revisit
Coerula bigis,

Siste, Fors, ludum nimis infolentem;
Funerum vasti ſatient acervi;
Verſa contortis ſatient cruentam
Oppida flammis.

Quot piis cum flaminibus ſacella,
Et duces arcesque premunt favillae!
Quot, tua merſas rabie, vorârunt
Aequora claſſes!

Num Fames, tetro moribunda vultu,
Num venenatae gravis aura Pestis,
Num parum tortor dominam vocantem
Audiit enſis?

Purpuratorum tibi colla regum
Subjacent; utcunque lubet jocari,
Pellis hunc pronum ſolio labanti,
Evehis illum.

Hac manu cladem nebulasque leti,
Altera laurum & radiata gemmis
Sceptra dispenſans, rapere ima ſummis
Mixta renides.

Gaudet Europe, nitidamque curis
Expedit frontem poſito timore,

In tholis cernens furiosa sacris
Arma reponi.
Gaudio mollis petulante ludit;
Aula Byzanti, sibi rursus undis
Cum fluat dives famulis, Britanno
Vindice, Nilus.
Quod latus mundi, Zephyri tepentis
Quam domum, aut Euri, celerumve fratrum,
Pulcra non tangunt crepitante laetum
Gaudia penna?
Intonant pacem, metuenda primum,
Aera Mavortis; litui tubaeque
Adsonant, festo populi tumultu
Vapulat aether.
Urbium *pictis* decorata flammis
Tecta collucent, superantque noctem,
Et suum lunae rapiunt & astris
Invida lumen.
Inter humentes Thetidos choreas,
Dulce Tritonum recinente concha,
Mille proceris levis aura malis
Curvat apluſtra.

Hi ducum tentant simulante vultus
Aere venturis memorare laudem
Saeculis; illi, quibus alma risit
Musa, metallo
Dignius condunt fragili tropaeum.
Sunt &, invicti quibus una cura est
Consulis claros viridante lauro
Cingere fasces,
Qui nives coelo domuit propinquas
Alpium, Europes Asiaeque fulmen,
Artium vindex, pariterque pace
Magnus & armis.
Dum tori dites epulaeque regum
Perficis fulgent operosiores;
Vos, precor, vanum, lepidi Sodales,
Mittite fastum.
Simplices mensae, nihil invidentes
Attalis, magno careant paratu.
Si meri crater, satis est, vetusti
Ferveat igne,
Amne quod laetus vitreo Garumna
Misit aut Rhenus: nec Apollinaris

Bar-

Barbiti delit geniale murmur:
Addite flores,
Siquibus torrens aquilo pepercit:
Jam nec argutis taceant susurris,
Quae joco tingant Charites venusto,
Spicula linguae.
At bonam frustra celebrare pacem
Mente mortales hilari paramus;
Saecla mendaces male pollicemur
Aurea natis;
Ni Deos sanctis veneramur aris,
Atque Sirenum laqueo pudendo
Pectus extricat recidiva Virtus;
Ni prece casta
Ultimam Thulen profugas sorores,
Et Fidem canam & Themidem, refectis
Rite delubris, revocamus; & jam
Acer ab auri
Splendido luxu puer irretortum
Discit obtutum cohibere, recto
Ductus exemplo, patriaeque laudis
Nobilis haeres.

LINGAE a. CIƆIƆCCCI.

LIERZANG

AAN MIJNE VRIENDEN,

TOEN DE VREDES-PRAELIMINAIREN TUSSCHEN FRANKRIJK EN ENGELAND EN DERZELVER BONDGENOOTEN, DEN 1. OCT. 1801, GESLOTEN WAREN.

(Vertaling van het vorige gedicht.)

Op d'Archipel holde een orkaan,
Sloeg loeijend zijne graauwe vlerken,
En velde woud en welig graan,
En trotsche kerken;
Doch kalmte laafde 't angstig hart,
En kuste lucht en aarde weder;
Zoo daalt de Vreê, na lange smart,
Ontfermend neder,
En ment door Nereus stroomkristal,
Verlost van brullende oorlogsplagen,
Door vrije vest en lieflijk dal
Den rozenwagen.

Laat,

Laat, Noodlot, lijk op lijk gehoopt,
(Uw ſpel is een t'afgrijslijk woelen!)
Laat ſteên, door krakend vuur gefloopt,
Uw bloeddorst koelen.
Hoe menig' priester, menig' held
Heeft kerk en burgt in puin bedolven!
Hoe menig' vloot boorde uw geweld
In 's afgronds golven!
Hoe dienstbaar volgde hongersnood,
En folterbijl bij ſchriktooneelen,
En pest, die met den adem doodt,
Uw moordbevelen!
Monarchen zelfs, in purpergloed,
Biên u den nek; en, als vermetel
Uw ſcherts gebiedt, ſtort hier in bloed,
Rijst daar een zetel.
Uw linkehand ſchenkt kroonenpracht,
Juweelen ſchepters, zegekarren,
Uw regte 't zwart verderf: gij lacht
Bij 't heilloos warren.
Geluk! Euroop mag nu bedaard
Het zorgeloos gelaat ontplooijen,

Daar eindlijk helm en woedend zwaard
De tempels tooijen.
Het Hof der Dardanellen gloeit
Van dartle vreugd, wijl aan 'zijn' koorden,
Door Britsche hulp, de Nijl weêr vloeit
Langs vruchtbre boorden.
Wat oord, zoo ver het zonlicht schiet,
Van west tot aan het blozend krieken;
Begroet de zaalge vreugde niet
Met blanke wieken?
Het vrolijk dondrend oorlogstuig,
Trompet en hoorn zijn vredetolken;
't Eenstemmig, feestlijk volksgejuich
Stijgt aan de wolken.
Zie ganschе steên met bonten glans
Van duizend, duizend vlammen schijnen;
De nacht wordt dag, de starretrans
En maan verkwijnen.
De Zephijr op den zilvren vloer
Krult vlag bij vlag, waar Thetis reijen
By Tritons ruischend paarlemoer
Gaan spelemeijen.

Dees

Dees poogt den held aan 't nageſlacht
In levend koper te vertoonen;
Die, wien Thalia gunſtig lacht,
Vlecht eerekroonen
Van langer duur, dan 't hardst metaal.
Er zijn, die 't ſchoonst met lauwerieren
De bondels en 't onwinbaar ſtaal
Des Conſuls ſieren,
Die d'Alpenſneeuw aan 't zwerk gebood,
De ſchrik der volkeren en mede
Der kunſten god, in 't harnas groot,
En groot in vrede.
Laat nu der Vorſten ſchittrend maal
Met Perſiaanſchen hofglans ſtrijden:
Gij, Vriendenrei, mijdt ijdle praal,
Wars van benijden.
Dat vrij Attaliſche overvloed
Van onze eenvoud'ge tafel wijke,
Zoo maar in 't glas de zachte gloed
Des nectars prijke,
Dien gij in kronkelenden zwier,
Garonne of Rijn, ons zendt; en 't kwelen

Van Phoebus feestelijke lier
Ons hart mag ſtreelen:
Mengt bloemen, die de Herfst nog ſpreidt:
Dat ook de boert elks tong ontboeije,
Die Charis met bevalligheid
En geest beſproeije.
Doch vruchtloos klinkt ons vreugdelied,
O ſtervling; met een valsch verblijden
Ach! malen w'ons een ſchoon verſchiet
Van gouden tijden;
Zoo 't hart bij 't godgewijd altaar
Van deugd niet blaakt, noch der Sirenen
Betoovring vliedt; zoo 't zusterpaar,
Zints lang verdwenen,
Geregtigheid en oude Trouw,
Niet weder tot haar' drempel trede,
Verzoend door nieuwen tempelbouw;
Zoo niet alrede
De jongling van den valſchen gloor
Des gouds 't verachtend oog leert rukken,
En moedig 't glansrijk heldenſpoor
Des vaders drukken.

IN PUELLAM FORMOSAM.

Vidi ego te, lepidi mecum videre ſodales,
Mirantes formam, pulcra puella, tuam.
Quälla divinae tamen haec ſint dona figurae,
Omnibus in dubio eſt judiciumque labat.
Ne Veneri par ſis, roſei pudor impedit oris;
Nec belli referunt lumina blanda deam.
Neve Jovis magnae poſſim conferre ſorori,
Mite facit tenui fronte ſupercilium.
Nempe trium nulli tu fulges aequa Dearum:
Et tamen his fulges pulcrior una tribus.

IN ALBO AMICORUM ABR. DE VRIES,

Sacrarum literarum interpreti doctiſſimo, diſertiſſimo.

Smyrnaei nos unus amor ſtudiumque poëtae
Junxit et optatam fovit amicitiam.
Irrupto maneat vinclo, ſuaviſſime Friſi,
Gratia tam fauſtis nata ſub auſpiciis!

HARLEMI a. CIↃIↃCCCXI.

IN

IN OBITUM

HIERONYMI DE BOSCH,

D. I. JUNII A. CIↃIↃCCCXI. VITA DEFUNCTI.

Te quoque, te Boschi, pomum velut arbore caurus
Necdum maturum, ſic rapit atra dies?
Ut conviva ſatur mortales linquere coetus
Tu poteras, felix Mentis alumne Bonae;
Et laeto poteras animo tibi dicere, vixi
Jam ſatis; at nobis haec tua vita brevis.
Te quaerunt moeſti, ſuaviſſima turba, ſodales,
Te conſanguineae dulcia membra domus.
Audit cum Rheno plangentes Amſtela Muſas,
Et ripas luctu miſcet uterque ſuas.
Piëria ſitiens lymphae crepitantis in umbra,
Abreptum plorat nava juventa ducem.
Patria te plorat, fama meritisque celebrem,
Et morum antiqua ſimplicitate virum.

Te

Te plorant omnes, latum quacunque per orbem
Fragrat Apollineis spica Sabaea focis.
Sed licet heu! sacris nec vatibus invida parcat
Atropos, & cineres jam tegat urna tuos,
Aeternam lepidae vivent monimenta Camenae,
Plausibus Aonii pignora digna chori.
Sive Phileteo libuit tibi ludere versu,
Quae dictant animi gaudia, quaeve dolori
Seu potius docti Musas imitare Lucreti,
Quique sit Astraeae cultus honorque, canis.
Seu tibi Pindaricos cupido conscendere currus,
Napoleonteis laudibus ora sonant.
Grajave quos sparsit flores Pimpleis, adornas;
Nexaque Cecropiis Grotia serta micant.
Ora vel attoniti formas arguta poëtae,
Maeoniumve tuo munere gaudet epos.
Haec tua Pegaseo rorantia fonte manebunt,
Luctibus & nostris dona levamen erunt.
Fixa animis vivet rarae virtutis imago,
Et lepor & fidae candor amicitiae.
Huc oculos, huc verte animum, generosa Juventus,
Divitis ingenii suspice tanta bona.

Ae-

Aemula tam pulcros vitae mirare labores,
Totque pia aeternis facta probanda Deis.
Hujus ad exemplum celso rege tramite passus,
Splendida qua meritis praemia reddit Honor.
Nunc age, nunc mecum digno contexe sepulcro
Lilia cum blandis, ultima dona, rosis;
Quoque magis placeant umbrae munuscula sanctae,
Cum brevibus sertis pectora casta vove.

HARLEMI a. CIↃIↃCCCXI.

CRITICA.

OBSERVATIONES CRITICAE

AD HOMERI HYMNOS.

HYMN. IN APOLLINEM (ED. ERNEST.)

Vers. 535—541.

Δεξιτερῇ μάλ' ἕκαστος ἔχων ἐν χειρὶ μάχαιραν
Σφάζειν αἰεὶ μῆλα· τὰ δ' ἄφθονα πάντα παρέσται,
Ὅσσα ἐμοί γ' ἀγάγωσι περικλυτὰ φῦλ' ἀνθρώπων.
Νηὸν δὲ προφύλαχθε, δέδεχθε δὲ φῦλ' ἀνθρώπων
Ἐνθάδ' ἀγειρομένων, καὶ ἐμὴν ἰθύνετε δαῖτα,
Ἠέ τι τηύσιόν γ' ἔπος ἔσσεται ἠέ τι ἔργον,
Ὕβρις θ', ᾗ θέμις ἐστὶ καταθνητῶν ἀνθρώπων.

Vers. 538, quia in codd. Moscov. & Parisius non apparet, ejiciendum putavit Ruhnkenius, cui assentit Matthias; veterem lectionem vs. 539 καὶ ἐμὴν ἰθύν τε μάλιστα, (pro qua Barnesius & Ernestius conjecturam Bern. Martini ἰθύνετε δαῖτα temere receperunt,) mutans in κατ' ἐμὴν ἰθύν τε μάλιστα, quas conjungit cum vs. 537 & explicat: *quae homines mihi ferent ex voluntate mea.* Cum tamen haec cum reliquis non commode coire sentiret, acquiescit tandem in sententia & interpretatione Boettigeri, cum quo & ego existimo servandum esse vs. 538, utpote a festinante librario

propter ὁμοιοτέλευτον perperam in memoratis codd. omissum; quem errorem in libris Homeri frequentissimum esse notavit etiam Wolfius in Prolegom. ad Homerum pag. CCLX. Putem tamen vocabulum φῦλ' hoc versu male repetitum esse ex praecedenti scribendumque δέδεχθε δὲ δῶρ' ἀνθρώπων. Quae mutatio, eximens repetitionem invenustam, egregie convenit ad praecedentia vs. 526 sqq., & sustentatur locis similibus, ut supra vs. 272. Ἀλλὰ καὶ ὣς προάγοιεν Ἰηπαιήονι δῶρα Ἀνθρώπων κλυτὰ φῦλα· σὺ δὲ φρένας ἀμφιγεγηθὼς Δέξαι ἱερὰ καλὰ περικτιόνων ἀνθρώπων, & hymn. in Merc. vs. 546. ubi Apollo: ἐγὼ δέ κε δῶρα δεχοίμην, cf. fragm. Hesiod. e schol. Sophoclis ad Trachin. vs. 1174. apud Ruhnken. Epist. crit. I. p. 114. Deinde, assumta hac conjectura, vulgata lectio καὶ ἐμὴν ἰθύν τε μάλιστα & retineri potest & aptius referri ad δέδεχθε, quo etiam retulit Boettigerus, itemque olim Anton. Schultingius, Jurisconsultus, cujus exemplar Homeri Lovaniensis diligentissima lectione versatum inspexi communicante humanissimo Ev. Wassenbergio. Ipsa autem loquendi ratio consuetudini congruit Homeri, qui ex. gr. Il. A. 15. sq. ἐλίσσεσθαι πάντας Ἀχαιοὺς, Ἀτρείδα δὲ μάλιστα, ib. Odyss. A. 358. sq. B. 266. Ξ. 137. Ψ. 61. Interpretor hoc modo: *dona hominum huc congregatorum & meam maxime mentem, meum consilium, iis impertiendum accipite*, (coll. vs. 484. Βουλάς τ' ἀθανάτων εἰ-

δή-

δήσετε) *sive aliquod dictum, optatum, sive factum fuerit irritum, sive injuria illata, ut fieri solet inter homines mortales.* Novissimus hymnorum editor, Hermannus, aliter locum expedit, Matthiae nempe conjecturam; in quam & ipse inciderat, recipiens κατ' ἐμὴν ἰθύν γε μάλιστα, eaque jungens cum ἀγειρομένων, hoc sensu: *suscipite eos, qui huc venient meorum consiliorum causa.*

HYMN. IN MERCURIUM.

vs. 43—46.

Ὡς δ' ὁπότ' ὠκὺ νόημα διὰ στέρνοιο περήσει
Ἀνέρος, ὅν τε θαμιναὶ ἐπιστρωφῶσι μέριμναι,
Ἢ ὅτε δινηθῶσιν ἀπ' ὀφθαλμῶν ἀμαρυγαὶ,
Ὡς ἅμ' ἔπος τε καὶ ἔργον ἐμήδετο κύδιμος Ἑρμῆς.

Vers. 45. ab hoc loco alienum putat Matthias, quia non soleant poëtae duas comparationes de eadem re conjungere: Hermannus etiam aliunde profectum censet. At vero comparatione jam antiquissimi poëtae tantopere delectabantur, ut non raro geminarent, velut Hom. Il. B. 144. Κινήθη δ' ἀγορὴ, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης Πόντου Ἰκαρίοιο, τὰ μὲν τ' Εὖρος τε Νότος τε Ὤρορ', ἐπαΐξας

πατρὸς Διὸς ἐκ νεφελάων. Ὡς δ' ὅτε κινήσει Ζέφυρος βαθὺ λήϊον, ἐλθὼν Λάβρος, ἐπαιγίζων, ἐπὶ τ' ἠμύει ἀσταχύεσσιν· Ὣς τῶν πᾶσ' ἀγορὴ κινήθη. Cf. ibid. vſ. 467 ſqq. Od. Π. 216 ſq. Ρ. 37. Ω. 147. Heſiod. Aſp. 345. 402 ſqq. 421. Idem recte fecerunt alii & veteres & recentiores. Praeterea, quod monet Matthias vſ. 35. ubi ἢ ὅτε factum a Barneſio e vulg. αἳ ὅτε, ſcribendum fuisſe ἢ ὡς ὅτε, hoc non ejusmodi est, ut valde nos moveat; nam ὡς e priori comparatione commode potest intelligi, quemadmodum intelligitur apud Heſiodum Aſp. 421. Ἤριπε δ', ὡς ὅτε τὶς δρῦς ἤριπεν, ἢ ὅτε πέτρη Ἠλίβατος.

Ibid. vſ. 47 — 49.

Πῆξε δ' ἄρ' ἐν μέτροισι ταμὼν δόνακας καλάμοιο,
Πειρήνας διὰ νῶτα λιθοῤῥίνοιο χελώνης.
Ἀμφὶ δὲ δέρμα τάνυσσε βοὸς ——

Δόναξ & κάλαμος ſynonyma ſunt, uti Lexicographi & Grammatici veteres conſentiunt, neque istorum conjunctionem pleonasmi nomine excuſari posſe crediderim. Idem est judicium Matthiae, qui vocem καλάμοιο locum obſidere ſuſpicatur alius vocabuli. Mihi vero vitium haerere videtur in voc. δόνακας, quod librario fortasſe excidit, vel propter ſimilitudinem vocis ſequentis, vel quia ſciret aliquam lyrae partem δόνακα vocari,

ri, non attendens illum huic loco non convenire. Δόναξ, asserculus, chordis suppositus, & κόλλαβοι, verticilli, quibus chordae tenduntur & laxantur, tanquam particulae minores, in poëtae descriptione omittuntur. Verticilli quidem abe-rant a lyra Polyphemi, e cervi cranio confecta; at hic ἄμουσόν τι καὶ ἀπῳδὸν canebat, vid. Lucian. Dialog. mar. I; antiquae autem lyrae additos fuisse patet ex Hom. Od. Φ. 107. Quid multa? δόνακας mutandum arbitror in δοκίδας, ut intelligantur trabeculae e calamo sectae oraeque dorsi testudinei ad partem supinam infertae, quae pro mensura testae diversae essent longitudinis (ἐν μέτροισι τιθεῖσαν), & corium bubulum, mox injiciendum, sustinerent, ut cavum resonum, τὸ ἠχεῖον, efficeretur: inde φόρμιγξ γλαφυρὴ. Δοκίδας autem καλάμου ad similem usum, sed in re diversa, adhibitas memorat Pollux Onomast. Lib. V. segm. 82. Ceterum ex hoc hymni loco discimus, cavum resonum injecto corio bubulo olim fuisse paratum, quod postea aereum, magadio s. asserculo suppositum & ἠχεῖον Graecis vocatum fuit, uti diserte docet Hesychius: ἠχεῖον — μουσικὸν τὸ πρὸς τῇ μαγάδι χάλκωμα. Cf. Is. Vossius de poëm. cantu p. 97. sq. Confundere hoc cum καλάμῳ videtur Jungermannus ad Pollucis Onomast. Lib. IV. segm. 62. not. 68, quia κάλαμος Hesychio est τὸ ἐπιτιθέμενον τῇ λύρᾳ ἠχεῖον; sed κάλαμος, qui & δόναξ, κέρας, μαγὰς, μαγάδιον vo-

vocatur, lamella est lignea, deinceps cornea, nervos sustinens, quam, quia sine ea chordarum nullus est sonus, Hesychius merito interpretatur ἠχεῖον, licet ab ἠχεῖῳ proprie dicto perquam diversum; ἠχεῖα etiam vocabantur instrumenta quaedam aerea in theatris usurpata, ὧν ὁ κτύπος σχηματίζεται εἰς βροντῆς ἀπήχησιν secundum schol. Aristoph. Nub. 291. Quod vero Salmasius in Hesychii l. l. ἐπιτιθέμενον mutat in ὑποτιθέμενον, hoc necessarium vix credo; lamella enim, κάλαμος, supponebatur quidem chordis, sed imponebatur lyrae: atque ita hunc locum cum altero, δόνακα ὑπολύριον· πάλαι γὰρ ταῖς λύραις κάλαμος ἀντι κέρατος ὑπετίθετο, conciliari posse existimaverim. Itidem Kuhnium & Is. Vossium ad Hesych. v. πῆχος in Pollucis l. l. πήχεια veteri lectioni, ἠχεῖα, praetulisse miror, propterea quod voc. πήχεις jam praecesserat, atque ἠχεῖα in recensendis partibus instrumentorum κρουομένων a Polluce praetermissa esse, verisimile non videtur.

Ibid. vs. 124—126.

Ῥινοὺς δ' ἐξετάνυσσε καταστυφέλῳ ἐπὶ πέτρῃ·
Ὡς ἔτι νῦν τάμεθ', ἅσσα πολυχρόνιον πεφύασι,
Δηρὸν δὴ μετὰ ταῦτα καὶ ἄκριτον.

Versus 125 sensu caret apto. Ilgenius edidit Ὡς ἔτι νῦν ταμίης τὰ πολυχρόνια πεφύασι, quod me-

merito refellit Matthias. Τάμεθ' et πολυχρόνιον mutationes sunt Barnesii, cum in edd. primis legatur ταμετ' (codd. Paris. τάμετ' ὅσσα) & πολυχρόνιοι; cod. Mosc. τὰ μέτασα πολυχρόνιοι. Unde hanc lectionem rei prorsus accommodatam elicio Ὡς ἔτι νῦν τάθεν, ὥστε πολυχρόνιοι πεφύκασι, cet. *Quemadmodum & nunc pelles expandi*, & ad aërem siccari *solent*, ut diuturnae fiant, longumque usum praebeant. Ita carminis auctor vel interpolator, qui variarum artium inventionem Mercurio tribuit, h. l. artem corii parandi ab eo monstratam dicat, quam & postea homines servaverint. Forma τάθην ab obsol. τάω occurrit Il. Ψ. 375 & alibi. — Aliquatenus mecum, qui haec olim conjeceram, consentire video Hermannum, sic emendantem Ὡς ἔτι νῦν τάνυθ', ἅσσα πολυχρόνια πεφύασιν, *quemadmodum nunc quoque, multo post, tenduntur, quae natura ad diuturnitatem facta sunt.*

Ibid. vs. 199, seq.

Ταῦτά μοι εἰπὲ, γεραιὲ παλαιγενὲς, εἶπον ὄπωπας
Ἀνέρα ταῖς δ' ἐπὶ βουσὶ διαπρήσσοντα κέλευθον,

Ταῦτα est pro διὰ ταῦτα, vel totam ῥῆσιν sequentem complectitur, quod utrumque durum pronunciat Matthias. Facile utique esset ταῦτα mutare in πάντα, quod frequens in talibus, uti Hymn. in Cer. 58. σοὶ δ' ὦκα λέγω νημερτέα πάντα.

vocatur, lamella est lignea, deinceps cornea, nervos sustinens, quam, quia sine ea chordarum nullus est sonus, Hesychius merito interpretatur ἠχεῖον, licet ab ἠχεῖῳ proprie dicto perquam diversum; ἠχεῖα etiam vocabantur instrumenta quaedam aerea in theatris usurpata, ὧν ἡ κτύπος σχηματίζεται εἰς βροντῆς ἀπήχησιν secundum schol. Aristoph. Nub. 291. Quod vero Salmasius in Hesychii l. l. ἐπιτιθέμενον mutat in ὑποτιθέμενον, hoc necessarium vix credo: lamella enim, κάλαμος, supponebatur quidem chordis, sed imponebatur lyrae: atque ita hunc locum cum altero, δύνακα ὑπολύμων· πάλαι γὰρ ταῖς λύραις κάλαμος ἀντὶ κέρατος ὑπετίθετο, conciliari posse existimaverim. Itidem Kuhnium & Is. Vossium ad Hesych. v. πῆχος in Pollucis l. l. πήχεια veteri lectioni, ἠχεῖα, praetulisse miror, propterea quod voc. πήχεις jam praecesserat, atque ἠχεῖα in recensendis partibus instrumentorum κρουομένων a Polluce praetermissa esse, verisimile non videtur.

Ibid. vs. 124—126.

Ῥινοὺς δ' ἐξετάνυσσε καταστυφέλῳ ἐπὶ πέτρῃ·
Ὡς ἔτι νῦν τάμνεσθ', ἅτε πολυχρόνιον πεφύκασι,
Δηρὸν δὴ μετὰ ταῦτα καὶ ἄκριτον.

Versus 125 sensu caret apto. Ilgenius edidit Ὡς ἔτι νῦν ταμίης τὰ πολυχρόνια πεφύασι, quod me-

merito refellit Matthias. Τάμεθ' et πολυχρόνιον mutationes sunt Barnesii, cum in edd. primis legatur ταμετ' (codd. Paris. τάμετ' ὅσσα) & πολυχρόνιοι; cod. Mosc. τὰ μέτασα πολυχρόνιοι. Unde hanc lectionem rei prorsus accommodatam elicio Ὡς ἔτι νῦν τάθεν, ὥστε πολυχρόνιοι πεφύκασι, cet. *Quemadmodum & nunc pelles expandi*, & ad aërem siccari *solent*, ut diuturnae fiant, longumque usum praebeant. Ita carminis auctor vel interpolator, qui variarum artium inventionem Mercurio tribuit, h. l. artem corii parandi ab eo monstratam dicat, quam & postea homines servaverint. Forma τάθην ab obsol. τάω occurrit Il. Ψ. 375 & alibi. — Aliquatenus mecum, qui haec olim conjeceram, consentire video Hermannum, sic emendantem Ὡς ἔτι νῦν τάνυθ', ἅσσα πολυχρόνια πεφύασιν, *quemadmodum nunc quoque, multo post, tenduntur, quae natura ad diuturnitatem facta sunt.*

Ibid. vs. 199, 200.

Ταῦτά μοι εἰπὲ, γεραιὲ παλαιγενὲς, εἶπον ὄπωπας
Ἀνέρα ταῖς δ' ἐπὶ βουσὶ διαπρήσσοντα κέλευθον,

Ταῦτα est pro διὰ ταῦτα, vel totam ῥῆσιν sequentem complectitur, quod utrumque durum pronunciat Matthias. Facile utique esset ταῦτα mutare in πάντα, quod frequens in talibus, uti Hymn. in Cer. 58. σοὶ δ' ὧκα λέγω νημερτέα πάν-

τα. Od. P. 590. ἐπεὶ διεπέφραδε πάντα, & sic passim. Favere etiam possit senis responsio vs. 203. ἀργαλέον μὲν — πάντα λέγειν. Verum tamen ταῦτα ad sequentia recte referemus, quemadmodum Od. A. 267. Ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται, Ἣ κεν νοστήσας ἀποτίσεται, ἦε καὶ οὐκί. Pariter τοῦτο Od. Δ. 645. & saepius τόδε sequentem dictionem monstrat, veluti Od. A. 169.

Ibid. vs. 424—426.

κιθαρίζων
Γηρύετ' ἀμβολάδην, ἐρατὴ δέ οἱ ἕσπετο φωνὴ,
Κρείνων ἀθανάτους τε θεοὺς καὶ γαῖαν ἐρεμνήν.

Voc. κραίνων Ernestius quidem defendit, alii vero suspectum habuerunt, quod significatio non satis congrueret. Inde Martinus conjecit αἰνέοντ' vel ὑμνέοντ', ut ad οἱ referretur, H. Stephanus αἰνεῶν vel ὑμνῶν; Matthiae autem, utraque conjectura rejecta, scriptum fuisse putat Ἀθανάτους δ' ἐγείρει θεοὺς. Sed ἐγείρει mox vs. 429 et 432. recurrit, neque verisimile est idem verbum ter positum fuisse tantillo spatio; praeterea durior est haec medela. Verius divinaveris Κλείων ἀθανάτους, Loca simillima leguntur apud Hesiodum Theogon. vs. 105. Κλείετε δ' ἀθανάτων ἱερὸν γένος αἰὲν ἐόντων, cet. ibid. vs. 44. & 67. conf. Hom. Od. A. 338. Hymn. in Sol. 18. & Pind. Olymp.

Olymp. Od. 1. prope finem. Unde colligas verbum κλείειν ejusque derivata κλείζειν & κληΐζειν eximie de vatibus, Deorum Heroumque laudes carmine celebrantibus, usurpari.

In eandem hanc conjecturam deinde incidit Hermannus, in cujus, ut & Matthiae, manus non pervenisse septio Prolusiones meas in Homeri hymnos, a. CIƆIƆƆCCI et sq. jam editas.

Ibid. vs. 435.

Βουφόνε, μηχανιῶτα, πονεύμενε, δαιτὸς ἑταῖρε —

Μηχανιώτης forma est suspecta pro μηχανητὴς; tum πονεύμενε absolute positum quis patienter ferat? α priori vocabulo male adhaerens mendum peperisse puto, leniterque repono μηχανιέων ἀπονήμενε. Ἀπονήμενος, vox Homerica, interpretante Hesychio, ὄνησιν εἰληφὼς, legitur Od. Ω. 30. τιμῆς ἀπονήμενος, vid. Schol. cf. Il. P. 25. Nimirum Apollo, Mercurio propter furtum caedemque boum antea iratus, postquam vero hunc lyra, ab ipso partim e corio caesae bovis artificiose structa, suaviter canentem audiverat, ad lenitatem revocatus, cum eo in gratiam redire cupit, amicitiamque & praeclara munera pollicetur, denique inter immortales inclytum fore eum & beatum praedicit: unde perspicuum est, quam opportune eum dixerit *machinationum inventorumque suorum*

rum percipere fructum. Atque ita hic versus ad reliquam Apollinis orationem egregie parabit aditum.

Porro quod sequitur δαιτὸς ἑταῖρε minus bene, me quidem judice, a Matthia tractatur. „Ita", inquit, „Mercurius vocari potest nulla alia de „causa, nisi quod lyram invenit, quae ipsa est „δαιτὸς ἑταίρη. Mirum vero, inventorem eo „nomine appellari, quod proprie invento con„venit." Certe lyra δαιτὸς ἑταίρη vocatur, uti hujus Hymn. vs. 31. Hom. Od. P. 271. & Θ. 99. δαιτὶ συνήορος θαλείῃ, ubi Eustathius monet in aliis exemplaribus scriptum ἑταίρῃ. Eadem figura Od. Λ. 7. ventus secundus navigantium ἑσθλὸς ἑταῖρος dicitur, & Il. I. 2. φῦζαι, φόβου κρυόεντος ἑταίρη. Similiter Horatius Lib. I. Od. 25. vs. 19. *Eurus hyemis sodalis*; Lib. III. Od. 18. vs. 6. *Crater, Veneris sodalis.* Hoc autem non impedit, quominus is, qui re musica excellens conviviis exhilarandis operam det, recte κατ' ἐξοχὴν appelletur δαιτὸς ἑταῖρος; idque eo magis, quod olim laus canendi in conviviis maxime cerneretur, neque in ea quidquam admitteretur hujusmodi, nisi quod multa venustate conditum esset, vid. hujus Hymn. vs. 453 & 477 sqq. conf. Pind. Olymp. Od. I. 24. Praeterea supra vs. 290. simillima dicendi ratione Apollo Mercurium vocaverat μελαίνης νυκτὸς ἑταῖρον.

Ibid.

Ibid. vſ. 457—459.

ἦ μὲν ἐγώ σε
Κυδρὸν ἐν ἀθανάτοισι καὶ ὄλβιον ἡγεμονεύσω,
Δώσω τ' ἀγλαὰ δῶρα, καὶ ἐς τέλος οὐκ ἀπατήσω.

Recte de his verſibus Matthiæ judicaſſe videtur: „ inſolens, inquit, locutio ἡγεμονεύειν τινὰ „ κυδρὸν pro ποιεῖν, & vſ. 462. καὶ ἐς τέλος οὐκ „ ἀπατήσω valde importunum & inficetum eſt." Quodſi ἡγεμονεύω ſolita *ducendi* ſignificatione acceperis, non conveniet caſus quartus, ſed vel genitivus vel dativus perſonae requiretur. Hae vero difficultates pellentur transpoſitis utriusque verſus vocabulis ultimis hoc modo:

ἦ μὲν ἐγώ σε,
Κυδρὸν ἐν ἀθανάτοισι καὶ ὄλβιον, οὐκ ἀπατήσω,
Δώσω τ' ἀγλαὰ δῶρα, καὶ ἐς τέλος ἡγεμονεύσω.

Quae ſic interpretor: *Profecto ego te, qui inter immortales clarus beatusque eris, non fallam*, evenient, quae tibi eventura modo praedixi (vſ. 458, ſq. Νῦν γάρ τοι κλέος ἐστὶν ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι, Σοὶ τ' αὐτῷ καὶ μητρί.) *dabo etiam dona magnifica, denique dux* tibi *ero potens.* Poſtrema, in quibus dat. σοὶ facile intelligas, lucem capiunt ex Heſiod. Theogon. 385 & ſqq. Καὶ κράτος, ἠδὲ Βίην, ἀριδείκετα γείνατο τέκνα, Τῶν οὐκ

οὐκ ἐστ' ἀπάνευθε Διὸς δόμος, οὐδὲ τις ἔδρη, Οὐδ' ὁδός, ὅππῃ μὴ κείνοις θεὸς ἡγεμονεύῃ.

Hermannus ἡγεμονεύσω mutandum ſuſpicatur in αἰὲν ὀνήσω.

HYMN. IN VENEREM.

vſ. 88—90.

Ὅρμοι δ' ἀμφ' ἁπαλῇ δειρῇ περικάλλεες ἦσαν, Καλοὶ, χρύσειοι, παμποίκιλοι, ὡς δὲ σελήνη, Στήθεσιν ἀμφ' ἀπαλοῖσιν ἐλάμπετο, θαῦμα ἰδέσθαι.

Ἐλάμπετο ad ὅρμοι referendum videtur Boeotio conſtruendi genere, quo uſum quoque Homerum oſtendit Ruhnkenius ad Hymn. in Cer. 199. Suadet enim locus ſimilis in altero Hymn. in Ven. vſ. 16. Δειρῇ δ' ἀμφ' ἁπαλῇ καὶ στήθεσιν ἀργυφέοισιν Ὅρμοισι χρυσέοισιν ἐκάλλυνεν. Ubi pariter non collo tantum, ſed pectori quoque Deae circumdata memorantur monilia. Ita & coronis floreis, praeter caput & collum, pectus ornabant veteres, cujusmodi coronas ὑποθυμαίδας vocabant. Anacreon apud Athenaeum Lib. XV. pag. 671. Πλεκτὰς δ' ὑποθυμιάδας περὶ στήθεσι λωτίνας ἔθεντο.

Ibid.

Ibid. vſ. 260.

Αἳ (Νύμφαι) ῥ' οὔτε θνητοῖς οὔτ' ἀθανάτοισιν ἔπονται.

Hunc verſum, Ernestio non intellectum, cum aliquot ſequentibus ejiciunt Groddeckius & Ilgenius. Matthias vero locum defendit, verſumque illum ideo neceſsarium eſse putat, ut Nymphae, quarum curae Veneris Anchiſaeque filius tradendus erat, distinguantur ab Oreadibus. Intelligit igitur Nymphas quasdam ſolitarias, *neque hominum neque Deorum coetibus ſeſe immiscentes*, velut Calypſo apud Hom. Od. H. vſ. 246. Sed huic explicationi repugnant non modo verſus 263 & 264, quos idcirco pro ſpuriis habet, ſed etiam verſ. 262. Καὶ τε μετ' ἀθανάτοισι καλὸν χορὸν ἐρήσαντο. Qui verſus ut concilientur verſui allato 260, verbum ἔπονται non interpretor cum Matthia *comites* ſe praebent, ὁμιλοῦσι, μίσγονται, ſed *ſimiles ſunt*, *natura conveniunt*, ut ἕπεσθαί τινι ſignificet ἕπεσθαι τῇ φύσει τινος. Et hanc interpretationem ſequens deſcriptio Nympharum omnino requirit. Itaque dicuntur illae, ut puto, neque cum mortalibus, neque cum immortalibus eandem habere naturam; non cum his, quod vita careant aeterna, non cum illis, quod ambroſia vescantur, immortalium choris ſe immisceant, vitamque vivant humana longiorem, cum arboribus natae, cum iisque morientes, ἰσοδένδροι, ἁμαδρύα-

δρύαδες. Vid. ſequentia usque ad vſ. 274. Conf. praeter alios Ovid. Met. Lib. VIII. 771. & ad hunc Ovidii locum respiciens Servius ad Virgil. Ecl. X. 62. Aeſch. Prom. vſ. 11. τίς ἀχὼ, Τίς δομὰ προσέπτα μ' ἀφεγγής; Θεόσυτος, ἢ βρότειος, ἢ κεκραμένη? κεκραμένη nempe est nympharum Oceanitidum.

HYMN. IN CEREREM.

vſ. 202—204.

Πρίν γ' ὅτε δὴ χλεύης μιν Ἰάμβη κέδν' εἰδυῖα
Πολλὰ παρασκώπτουσ' ἐτρέψατο πότνιαν, ἁγνὴν,
Μειδῆσαι, γελάσαι τε, καὶ ἵλαον σχεῖν θυμόν.

Postremis quomodo mederetur, non inveniebat Ruhnkenius; Heinius restituit ἠδ' ἵλαον ἔνθετο θυμὸν ex Il. I. 635. Mitſcherlichius legere mavult καὶ ἵλαον σχέμεν ὀργὴν ex verſu ſequente ſpurio, in cujus fine est ὀργαῖς. Mihi vero levi mutatione ſcribendum videbatur καὶ ἵλαον εἶπεῖν μῦθον, quod auctoris menti mirifice congruere putabam. Nempe ita primum gradatio, quam Ruhnkenius aliique in μειδῆσαι γελάσαι τε observarunt, quae nunc tamen manca est et inchoata, numeris ſuis abſolve-

vetur. Deinde vide, quam haec apte respondeant praecedentibus: subridet Dea, ridet dein, quae fuerat ἀγέλαστος (vs. 200.), tandem *hilariter colloquitur*, quae diu sederat ἄφθογγος, οὔτ' ἔπει οὔτε προσπτύσσετο (vs. 189. sq.) Ceterum θυμὸς et μῦθος in antiquis libris permutari notum est.

Ibid. vs. 342 — 345.

Τέτμε δὲ τὸν γε ἄνακτα δόμων ἔντοσθεν ἐόντα,
Ἥμενον ἐν λεχέεσσι σὺν αἰδοίῃ παράκοιτι,
Πόλλ' ἀεκαζομένῃ μητρὶ πόθῳ, ἣδ' ἐπ' ἀτλήτων
Ἔργοις θεῶν μακάρων μητίσετο βουλῇ.

Ignarra conjiciebat ἣδ' ἐπ' ἀτλήτων (*ob casum intolerandum*) ὀργισθεῖσα θεῶν μακάρων μηνίζετο βουλῇ; Matthiae ἣδ' ἔτ' ἄτλητον Ὀργισθεῖσα θεῶν μακάρων μηνίετο βουλῇ. Ruhnkenius correxerat μητίετο βουλὴν, de reliquis desperans; & hoc servato Hermannus tentabat ἣδ' ἐπ' ἀλάστοις Ἔργοισιν μακάρων ὀλοὴν μητίετο βουλὴν, Cereri haec tribuens. Mihi scribendum videbatur ἣδ' ἔτ' ἄπαστος Ἔργοις θεῶν μακάρων κούρη μητίετο βουλήν. Κούρη fortasse excidérat, a festinante librario propter antecedentes syllabas non omnino dissimiles omissum: ἄπαστος autem explicat sequentia μητίετο βουλήν, Proserpina nempe jejunio servando, quod deinde ponere et fraude et vi cogebatur, Deorum acta eludere animum induxerat. Ceterum

Ἔργα θεῶν itidem deteriore ſenſu memorantur Il. Π. 120. Γνῶ δ' Αἴας κατὰ θυμὸν ἀμύμονα, μίγησέν τε Ἔργα θεῶν, cet.

Ibid. vſ. 371 — 374.

αὐτὰρ ὅγ' αὐτῇ
Ῥοιῆς κοκκον ἔδωκε φαγεῖν μελιηδέα λάθρη,
Ἀμφὶ ἑ νωμήσας, ἵνα μὴ μένοι ἤματα πάντα
Αὖθι πάρ' αἰδοίῃ Δημήτερι κυανοπέπλῳ.

Verba ἀμφὶ ἑ νωμήσας, quae ſe non ſatis intelligere fatebatur Ruhnkenius, alii aliter exponere conati ſunt. Santenius vero & Hermannus legebant ἀμφὶς νωμήσας, quod ille vertebat *clam bipartiens*, n. malum Punicum, hic *ſeorſim tribuens*. Tentabam aliquando, Ἐν φρεσὶ νωμήσας, quemadmodum Od. Σ. 215. Παῖς' ἔτ' ἐὼν καὶ μᾶλλον ἐνὶ φρεσὶ κέρδε' ἐνώμας. Cf. Od. N. 255. & Aeſch. Sept. c. Th. 25. Sed nihil nunc mutandum arbitror. Ἑ refero ad Proſerpinam, & ἀμφὶ ἑ νωμήσας (ſic enim tum ſcribendum) cum ſequentibus jungo hoc ſenſu: *de ea id agitans, ut ne ſemper apud Cererem matrem maneret.* Eundem orationis nexum legimus Od. Ξ. 337. τοῖσιν δὲ κακὴ φρεσὶν ἤνδανε βουλὴ Ἀμφ' ἐμοὶ, ὄφρ' ἔτι πάγχυ δύης ἐπὶ πῆμα γενοίμην.

Ibid.

Ibid. vi. 425—436.

Ἄνθεα δρεπόμην χείρεσσ' ἑρόεντα,
Μίγδα κρόκον τ' ἄγανόν καὶ ἀγαλλίδας ἠδ' ὑάκινθον,
Καὶ ῥοδέας κάλυκας, καὶ λείρια, θαῦμα ἰδέσθαι,
Νάρκισσόν θ', ὃν ἔφυσ' ὥσπερ κρόκον εὐρεῖα χθών.
Αὐτὰρ ἐγὼ δρεπομένη περὶ κάρματι· γαῖα δ' ἔνερθεν
Χώρησεν.

Ruhnkenius vi. 429. scribendum monet, αὐτὰρ ἐγὼ δρεπόμην. Sed recte innuit Matthias ita jejunam exilisse orationem: ἡμεῖς μὲν ἄνθεα δρέπεσθαι — αὐτὰρ ἐγὼ δρεπόμην. Ilgenius hunc versum cum superiori connexit hoc modo: Νάρκισσόν θ', ὃν ἔφυσ' — εὐρεῖα χθών, Αὐτὴ ἐγὼ δρεπόμην, quod bene procederet, si Proserpina ante dixisset, *ceterae nymphae legerunt hyacinthum, rosas, lilia*, cet.: ubi tum commode sequeretur: *ipsa vero narcissum decerpebam*. Quo ordine sententiarum Ovidius utitur Fast. L. IV. 437. sqq. *Illa legit calthas: huic sunt violaria curae: Illa papavereas subsecat unguе comas. Has, Hyacinthe, tenes: illas, Amarante, moraris: Pars thyma, pars casiam, pars meliloton amant. Plurima lecta rosa est: & sunt (malim tot) sine nomine flores. Ipsa crocos, tenues liliaque alba legit.*

Ἔργα θεῶν itidem deteriore sensu memorantur Il. Π. 120. Γνῶ δ' Αἴας κατὰ θυμὸν ἀμύμονα, βίγησέν τε Ἔργα θεῶν, cet.

Ibid. vs. 371 — 374.

αὐτὰρ ὅγ' αὐτῇ
Ῥοιῆς κοκκον ἔδωκε φαγεῖν μελιηδέα λάθρη,
Ἀμφὶ ἑ νωμήσας, ἵνα μὴ μένοι ἤματα πάντα
Αὖθι πάρ' αἰδοίῃ Δημήτερι κυανοπέπλῳ.

Verba ἀμφὶ ἑ νωμήσας, quae se non satis intelligere fatebatur Ruhnkenius, alii aliter exponere conati sunt. Santenius vero & Hermannus legebant ἀμφὶς νωμήσας, quod ille vertebat *clam bipartiens*, n. malum Punicum, hic *scorsim tribuens*. Tentabam aliquando, Ἐν φρεσὶ νωμήσας, quemadmodum Od. Σ. 215. Παῖς' ἔτ' ἐὼν καὶ μᾶλλον ἐνὶ φρεσὶ κέρδε' ἐνώμας. Cf. Od. N. 255. & Aesch. Sept. c. Th. 25. Sed nihil nunc mutandum arbitror. Ἑ refero ad Proserpinam, & ἀμφὶ ἑ νωμήσας (sic enim tum scribendum) cum sequentibus jungo hoc sensu: *de ea id agitans, ut ne semper apud Cererem matrem maneret.* Eundem orationis nexum legimus Od. Ξ. 337. τοῖσιν δὲ κακὴ φρεσὶν ἤνδανε βουλὴ Ἀμφ' ἐμοὶ, ὄφρ' ἔτι πάγχυ δύης ἐπὶ πῆμα γενοίμην.

Ibid.

Ibid. vs. 425—436.

ἄνθεα δρέπομεν χείρεσσ' ἐρόεντα,
Μίγδα κρόκον τ' ἀγανὸν καὶ ἀγαλλίδας ἠδ' ὑάκινθον,
Καὶ ῥοδέας κάλυκας, καὶ λείρια, θαῦμα ἰδέσθαι,
Νάρκισσόν θ', ὃν ἔφυσ' ὥσπερ κρόκον εὐρεῖα χθών.
Αὐτὰρ ἐγὼ δρεπομένη περὶ χάρματι· γαῖα δ' ἔνερθεν
Χώρησεν.

Ruhnkenius vs. 429. scribendum monet, αὐτὰρ ἐγὼ δρεπόμην. Sed recte innuit Matthias ita jejunam exsistere orationem: ἡμεῖς μὲν ἄνθεα δρέπομεν — αὐτὰρ ἐγὼ δρεπόμην. Ilgenius hunc versum cum superiori connectit hoc modo: Νάρκισσον δ', ὃν ἔφυσ' — εὐρεῖα χθὼν, Αὐτὴ ἐγὼ δρεπόμην; quod bene procederet, si Proserpina ante dixisset, *ceterae nymphae legebant hyacinthum, rosas, lilia*, cet.: ubi tum commode sequeretur: *ipsa vero narcissum decerpebam*. Quo ordine sententiarum Ovidius utitur Fast. L. IV. 437. sqq. *Illa legit calthas: huic sunt violaria curae: Illa papavereas subsecat ungue comas. Has, Hyacinthe, tenes: illas, Amarante, moraris: Pars thyma, pars casiam, pars meliloton amant. Plurima lecta rosa est: & sunt* (malim *tot*) *sine nomine flores, Ipsa crocos tenues liliaque alba legit.*

Sed in hymno praecessit ἡμεῖς δρέπομεν. Inconcinna igitur Proserpinae foret oratio: *nos legebamus alios flores, ego vero narcisſum.* Matthiae legit: Αὐτὰρ δρεπτομένη περὶ κάσματι (e Mitscherlichii conject.). γαῖα γ' ἔνερθε, vel γαῖ' ἐκάτερθε χώρησεν. Mihi vero reliqua stare posse videntur, modo αὐτὰρ mutetur in αὐτὸν, adhibita Ruhnkenii correctione δρεπόμην. Cum enim poëta Proserpinam, flores decerptos enumerantem, in narcisso subsistere faciat, hoc eo consilio videtur facere, ut mox istius floris suavitate praesertim captam & in eo decerpendo occupatam, dum raperetur, designet. Consentiunt praeter alios Pamphus apud Pausaniam in Boeot. 31. loco a Ruhnkenio laudato ad hujus Hymn. vs. 8. & Scholiast. ad Sophocl. Oed. Col. 683. πρὶν ἢ τὸν Πλούτωνα αὐτὴν ἁρπάσαι, τοῦτο (τὸ νάρκισσον) ἐπέφυτο· συλλέγουσαν οὖν φασὶν αὐτὴν τὸν νάρκισσον ἁρπασθῆναι: quamquam Aristoteles in Mirandis Op. Tom. II. p. 723. & Diodorus Lib. V. prata Ennensia, ubi rapta dicitur Proserpina, violis maxime abundasse tradant, iisque delectatam eam quoque innuit Nicander in Georg. apud Athenaeum Lib. XV. p. 684. Ἰωνιάδας τε χαμηλὰς Ὀρφνοτέρας, ἃς τεύξε μετ' ἄνθεσι Περσεφόνεια. Sed in viam. Similis sententiarum series occurrit supra vs. 8. sqq. Porro Matthiam de verbis ἔνερθε χώρησεν sine causa idonea dubitare existimo. Certe non exaequant ambitiosius illud Claudiani de Rapt. Pros. II. 186. *terra*

ra immenso late discessit hiatu, neque Senecae Oed. 582. *Subito dehiscit terra, & immenso sinu Laxata patuit*: neque vero hoc necessarium; sufficiunt ad rem declarandam aeque ut supra vs. 16. simplex χάνε. Χωρεῖν enim praeter alia notat *cedere, locum facere*, uti Il. N. 324. Quare, si terra cedere sub pedibus dicitur; quid hoc est aliud, quam *subsidere, hiando patere?* id, quod tum magis patebit, quum ad primam verbi originem χάω attenderimus, cf. Lennep. Etymol. l. Gr. vocc. χῶρος, χωρὶς, χωρέω. Ita simpliciter Sen. Oed. 576. *Terra se retro dedit.*

Wassenbergius, de his a me consultus, conjecturam meam αὐτὸν valde probabat quidem, de reliquis vero quid sentiret, his verbis humanissime mihi significabat. „ Περὶ χάρματι ", inquit, „ quamquam defendi potest, meo sensu friget. „ Admissa tua & Ruhnkenii emendatione lego & „ distinguo: Αὐτὸν ἐγὼ δρεπόμην· περὶ χάρματι „ γαῖα δ' ἔνερθε Χώρησεν. περὶ *in circuitu*; δὲ „ non raro infra tertiam vocem detruditur.". Hermannus autem cum Ilgenio defendit vulg. περὶ χάρματι.

Ibid. vs. 428.

Νάρκισσον θ', ὃν ἔφυσ', ὥσπερ κρόκον, εὐρεῖα χθὼν.

Pro ὥσπερ κρόκον, quod jam limatum Ruhnkenii judicium fastidiebat, Jacobsius Emendat. p. 7.

Ἑδρην ἀΐδιον ἔλαχες, πρεσβηΐδα τιμὴν,
Καλὸν ἔχουσα γέρας καὶ τιμήν.

Ernestius vs. 3. legendum censebat γαῖαν pro τιμήν, quod sine dubio vitiosum, nisi haec interpolata esse cum Ilgenio & Hermanno judices, cujus tamen opinionis, vide, ne causa desit satis idonea. Matthiae conjicit Ἑδρην — πρεσβηΐδα, ἀγνὴν. Mihi in mentem venerat πρεσβηΐ θεάων: sic Hymn. in Ven. 32. eadem Vesta vocatur θεῶν πρέσβειρα & apud Pind. Nem. XI. 7. πρώτα θεῶν. Orph. Arg. 604. Ῥείην πρεσβυγενῆ. Sed Ienius remedium erit, Ἑδρην ἀΐδιον ἔλαχες, πρεσβηΐδα, θεμιὴν. Ceterum comp. Pind. Olymp. II. prope fin. πάντων Ῥέας ὑπέρτατον ἑζόμενος θρόνον.

XXX. HYMN. IN MATREM OMNIUM.

vs. 14, 15.

Παρθενικαί τε χοροῖς περεσανθέσιν εὐφρονι θυμῷ
Παίζουσαι σκαίρουσι κατ' ἄνθεα μαλθακὰ ποίης.

Vox περεσανθέσιν nulla est, unde Ernestius fecit Φερεσανθέσιν formatum, ut φερεσακὴς, & sim. Codd. Paris. παρ' εὐανθέσιν, quod recepit Wolfius; Barnes.

nes. περιανθέσιν. Hermannus εὐανθέσιν. Matthiae intentatum reliquit, altius tamen ulcus haerere judicat, quia statim sequitur ἄνθεα. Scribendum mihi videtur περιγηθέσιν, quam vocem habet Apollon. Arg. IV. 888, servarunt etiam Hesychius & Suidas, quamque Dartonam hic legisse verisimile est, cum verterit *choris festivis*. Nihil utique his virginum choris magis consentaneum, cum & πολυγηθὴς in Hymn. Orphic., ab Homero, Hesiodo, de Nymphis, uti omnino de Diis, οἷς ὀφρύες οὐκ ἔπεπτον, (ut est in Stratonis epigr. Analect. Brunck. Tom. II. p. 559.) eximie ponatur.

CIC. DE ORAT. Lib. II. Cap. 43.

Sed haec adjuvant in oratore, lenitas vocis, vultus, pudoris significatio, verborum comitas; siquid persequare acrius, ut invitus & coactus facere videare.

Vocabulum *vultus* nude hic poni merito improbat Ernestius, quamobrem illud cum voc. *lenitas* jungendum vel ejiciendum monet. Uti autem conjunctio illa durior, sic ejectio non suadenda mihi videtur, propterea quod in his vultus plerumque ab auctore fit mentio, v. gr. Cap. 45. *Tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor, oculis, vultu, gestu, digito denique isto tuo significari solet.* Ibid. *Neque ad misericordiam adducetur, nisi tu ei signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, collacrymatione denique ostenderis.* Itaque, ut concinnitas sibi constet Ciceroniana, reponendum arbitror: *lenitas vocis, vultus pudor timoris significatio*, cet. Vocab. *timoris* adjiciendum esse eo fit probabilius, quod ad cetera plane accommodatum est, atque adeo ad absolvendam sententiam requiri videtur: maxime enim timor facit ad commendationem probitatis, de qua hic agitur. Ideo & eod. hoc cap. auctor monet:

Ho-

Horum (reorum) *expimera mores oratione, justos, integros, religiosos, timidos, perferentes injuriarum, mirum quiddam valet.* & Cap. 50. Ubi Sulpitius Antonii quandam orationem laudans: *quod*, ait, *principium tuum, Dii immortales, fuit? qui timor? quae dubitatio? quanta haesitatio, tractusque verborum?*

Ibid. Lib. III. Cap. 44.

Haec duo musici, qui erant quondam iidem poëtae, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut & verborum numero, & vocum modo, delectatione vincerent aurium satietatem.

Delectatione, tanquam spurium, uncis inclusit Ernestius, quia neque cum reliqua oratione coït, & sine causa positum videtur. Suspicor tamen in hoc verbo aliud latere ad rem prorsus appositum, nempe *delicatiorem*, quod eo gradu adhibitum optime convenit *aurium satietati*. Aurium enim sensus inprimis est delicatus *judicium*que *superbissimum*, ut ipse loquitur Cicero Orat. Cap. 44. *Satietas* autem *delicatior* diceretur, veluti de Fin. Lib. I. Cap. 2. *fastidium delicatissimum*; nam satietas est fastidium ex copia, & saepius haec ambo junguntur.

Ibid.

CIC. DE ORAT. Lib. II. Cap. 43.

Sed haec adjuvant in oratore, lenitas vocis, vultus, pudoris significatio, verborum comitas; siquid persequare acrius, ut invitus & coactus facere videare.

Vocabulum *vultus* nude hic poni merito improbat Ernestius, quamobrem illud cum voc. *lenitas* jungendum vel ejiciendum monet. Uti autem conjunctio illa durior, sic ejectio non suadenda mihi videtur, propterea quod in his vultus plerumque ab auctore fit mentio, v. gr. Cap. 45. *Tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor, oculis, vultu, gestu, digito denique isto tuo significari solet.* Ibid. *Neque ad misericordiam adducetur, nisi tu ei signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, collacrymatione denique ostenderis.* Itaque, ut concinnitas sibi constet Ciceroniana, reponendum arbitror: *lenitas vocis, vultus pudor timoris significatio*, cet. Vocab. *timoris* adjiciendum esse eo fit probabilius, quod ad cetera plane accommodatum est, atque adeo ad absolvendam sententiam requiri videtur: maxime enim timor facit ad commendationem probitatis, de qua hic agitur. Ideo & eod. hoc cap. auctor monet: *Ho-*

Horum (reorum) *exprimera mores oratione, justos, integros, religiosos, timidos, perferentes injuriarum, virum quiddam valet.* & Cap. 50. Ubi Sulpitius Antonii quandam orationem laudans: *quod*, ait, *principium tuum, Dii immortales, fuit? qui timor? quae dubitatio? quanta haesitatio, tractusque verborum?*

Ibid. Lib. III. Cap. 44.

Haec duo musici, qui erant quondam iidem poëtae, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut & verborum numero, & vocum modo, delectatione vincerent aurium satietatem.

Delectatione, tanquam spurium, uncis inclusit Ernestius, quia neque cum reliqua oratione coït, & sine causa positum videtur. Suspicor tamen in hoc verbo aliud latere ad rem prorsus appositum, nempe *delicatiorem*, quod eo gradu adhibitum optime convenit *aurium satietati*. Aurium enim sensus inprimis est delicatus *judicium*que *superbissimum*, ut ipse loquitur Cicero Orat. Cap. 44. *Satietas* autem *delicatior* diceretur, veluti de Fin. Lib. I. Cap. 2. *fastidium delicatissimum*; nam satietas est fastidium ex copia, & saepius haec ambo junguntur.

Ibid.

Ibid. Cap. 59.

Animi est omnis actio, & imago animi vultus est, indices oculi, nam haec est una pars corporis, quae, quot animi motus sunt, tot significationes & commutationes possit efficere: neque vero est quisquam, qui eadem contuens, efficiat.

Efficiat neque absolute sic poni potest, neque ad priora bene refertur, quare Ernestius mutatum voluit in *dicat*. Scribendum puto *qui, eadem contuens, quidquam efficiat*, quae vocula fortasse excidit ob praecedens *quisquam*.

BRUT. Cap. 66.

Ch. autem Lentulus multo maiorem opinionem dicendi actione faciebat, quam quanta in eo facultas erat: qui cum esset nec peracutus, quamquam & ex facie & ex vultu videbatur, nec abundans verbis, etsi fallebat in eo ipso: sic intervallis, exclamationibus, voce suavi & canora, admirando irridebat, calebat in agendo, ut ea, quae deerant, non desiderarentur.

Verba *admirando irridebat* sine dubio vitiosa sunt. Lambinus corrigebat *admirando, irridendo, agendo denique latebat*, quod placuit Ernestio, ita tamen, ut pro *calebat* legere mallet *va-*

valebat. Verum simplicíori medela huic loco succurri posse existimo, si ceteris non contactis sola verba *admirando irridebat* diffingamus scribendo: *admirantes irretiebat.* Hoc auctoris menti quantopere consentiat, perspicuum est; nam Cn. Lentulus, cui vera & genuina dicendi facultas deërat, artibus actionis irretiebat magis & fallebat, quam persuadebat, ita ut, quemadmodum mox addit Tullius, *ceterarum virtutum dicendi mediocritatem actione occultaret, in qua excellens esset.* Quod sequitur, *calebat in agendo*, sollicitandum non videtur; aptissimum enim hoc verbum & proprium. Sic infra Cap. 80. *actio* laudatur *ardens*, & Suet. in Julio Cap. 55. *Pronunciasse dicitur voce acuta, ardenti motu gestuque.*

Ibid. Cap. 82.

Sed ad Calvum revertamur: qui orator fuisset, cum literis eruditior, quam Curio, tum etiam accuratius quoddam dicendi & exquisitius afferebat genus.

In voce *fuisset*, qua sententia prorsus conturbatur, mendum latere jam vidit Corradus & mutavit *qui orator fuit, sed.* *Fuit* quidem ab Ernestio probatur, *sed* non item. Perspexit tamen vir eximius vel sic sibi non constare locum, neque ausus est de eo decernere. Crediderim equidem emen-

emendari commode posse: *qui orator fluens & cum literis erat eruditior, tum* cet. Ut oratio, ita etiam orator *fluere* dicitur; infra Cap. 91. se ipsum Cicero vocat *redundantem & superfluentem*, & Orat. Cap. 12. Herodotum dicit *fluere*. Contraria sunt *claudicare*, *haerescere*. Ceterum inter voc. *literis* & *eruditior* propter literarum similitudinem facillime excidere potuit *erat*, quod tamen melius fortasse reticebitur.

5. ORAT. PRO SEX. ROSCIO AMER. Cap. 31.

In hac enim causa cum viderent, illos amplissimam pecuniam possidere, hunc in summa mendicitate esse; illud quidem non quaererent (judices), *cui bono fuisset, sed eo perspicuum crimen & suspicionem potius ac praedam adjungerent, quam ad egestatem.*

Verba *sed eo perspicuum crimen & suspicionem* vitium habere omnes fatentur interpretes praeter Graevium, cujus tamen interpretatio non eximit difficultatem, *eo* enim non habet, quo referatur, neque consentiunt *perspicuum crimen* & *suspitio*, quemadmodum recte judicat Ernestius. Locum facili verborum transpositione levique unius voculae mutatione corrigi posse existimo ad hunc modum: *sed suspicionem, imo perspicuum crimen potius* cet. Sic illa erunt plana & eleganter crescet vis orationis.

ORAT.

ORAT. III DE LEGE AGR. Cap. 32.

Corinthi vestigium vix reliquum est, erat enim posita in angustiis atque in faucibus Graeciae sic, ut terra claustra locorum teneret, & duo maria, maxime navigationi diversa, paene conjungeret, cum pertenui discrimine separarentur.

Ernestius voc. *navigationi* pro glossa habet; Weiskius autem non excludendum censet, sed molliorem effici credit orationem, si *navigationi* reponatur ante *duo maria*. Mihi illud loco suo positum videtur, quia pertinet ad *diversa*. *Maxime navigationi*, s. ad navigationem, *diversa* i. e. apta ad navigationem in oras maxime diversas, oppositas.

ORAT. POST REDITUM IN SEN. Cap. 4.

Sed fuerunt duo consules, quorum mentes angustae, humiles, parvae, oppletae tenebris ac sordibus, nomen ipsum consulatus, splendorem illius honoris, magnitudinem tanti imperii nec intueri, nec sustinere, nec capere potuerunt.

Haec transpositione emendari velim, ut scribatur *nec sustinere nec intueri*. Jubet enim concinnitas, quia, uti *capere* ad *magnitudinem*, sic *sustinere* ad *nomen consulatus*, & *intueri* ad *splendorem honoris* referendum est.

ORAT.

ORAT. PRO L. CORN. BALBO Cap. I.

Si auctoritates patronorum in judiciis valent, ab amplissimis viris L. Cornelii causa defensa est: si usus, a peritissimis: si ingenia, ab eloquentissimis: si studia, ab amicissimis, & cum beneficiis cum L. Cornelio, tum maxima familiaritate conjunctis. Quae sunt igitur meae partes? auctoritatis tantae, quantam vos in me esse voluistis, usus mediocris, ingenii minime voluntati paris. Nam ceteris, a quibus est defensus, hunc debere plurimum video: ego quantam ei debeam, alto loco. Principio orationis oppono, me omnibus — praedicanda & habenda (gratia) satis esse facturum.

Verborum, *Quae sunt igitur meae partes? auctoritatis tantae*, cet., nexus est paulo abstrusior. Rejecto infra vocem *paris* interrogationis signo, *auctoritatis tantae* ceterosque genitivos refero ad pronomen *meae*, quo possessivo latet personale, ut sensus loci sit hujusmodi: *cum L. Cornelii causa defensa sit a viris, auctoritate, usu, ingenio, voluntate excellentissimis; quae possunt esse partes meae, qui sim auctoritatis, usus, ingenii mediocris, & voluntati minime paris?* Excipit nempe orator voluntatem, qua nemini cedebat, quoniam ceteris quidem defensoribus Balbus, ipse vero huic debebat plurimum: & hoc est illud, quod principio oratio-

tionis, eminentioribus videlicet, ceterorum facultatibus, opponit.

Ibid. Cap. 6.

Atque, ut ego sentio, judices, causa dicta est temporis magis. ego non hujus, inquam, generis judicii plura dicam.

Locus valde corruptus hoc modo ad sensum probabilem corrigi possit: *Atque, ut ego sentio, judices, causa dicta est temporis magis, quam hujus, neque de genere judicii plura dicam*; i. e. „causa, quam hucusque dixi, magis est „temporis, quam hujus Pompeji, quod adeo per„spicuum mihi est, ut de genere judicii, de ra„tione recte rem judicandi nihil addam amplius." Quid hoc sit, causam magis pertinere ad tempora, quam ad ipsum Pompejum, mox declarat, addens: *Est enim hoc saeculi labes quaedam & macula, virtuti invidere, velle ipsum florem dignitatis infringere.*

ORAT. PRO T. ANNIO MILONE Cap. 1.

Tum de se, de liberis suis, de patria, de fortunis hodierno die decertari putat.

Ut gradatio restituatur, transponenda haec videntur ita: *de fortunis, de patria.*

ORAT. PRO C. RABIRIO POSTUMO. Cap. 5.

Tabella est, quae dat potestatem, occultat eadem libidinem. cujus conscientiam, nihil est quod quisquam timeat, si non pertimescat suam.

„ *Conscientiam* intellige aliorum," inquit Ernestius, „ qui scilicet facinoris ab alio patrati non „ sunt ignari": non bene, ut mihi videtur. *Cujus* pertinere censeo ad tabellam sententiae libidinosae unice conscium: judici enim, insciis ceteris, injustam ferendi sententiam per usum tabellarum potestas erat, nisi esset vir probus, suam pertimescens conscientiam. Reliqua oratio hunc sensum postulat. Haec dum meditor, video, Graevianam editionem respicientem, jam antiquiores ita hunc locum cepisse probante Graevio.

ORAT. PHIL. VI. Cap. 2. fin.

Semper eum duo dissimilia genera tenuerunt, lenonum & latronum: ita domesticis stupris, forensibus praediis delectatur, ut mulieri citius avarissimae paruerit quam senatui populoque Romano.

Ernestius, „ quorsum," inquit, „ hic avari„ tia feminae notetur, non video." Miror; nam primum nota est meretricum luxuries & hanc sub-

subsequens avaritia. Clitipho apud Ter. Heaut. II. 1. 11. *Magis nunc me amicae dicta stimulant, Da mihi atque affer mihi*; subjungens mox: *Mea est potens, procax, magnifica, sumtuosa, nobilis.* Cf. Tib. II. VI. et Prop. III. XI. Deinde idcirco ista mulierum, quibus se emancipaverat Antonius, avaritiae notatur, quia, ut huic satisfaceret, latrocinia patrare non reformidabat. Tib. El. cit. vs. 21. *At mihi per caedem & facinus sunt dona paranda, Ne jaceam clausam flebilis ante domum; Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis. Sed Venus ante alios est violanda mihi. Illa malum facinus suadet, dominamque rapacem Dat mihi; sacrilegas sentiat illa manus. cet.*

ORAT. PHIL. XII. Cap. 10.

Teneant alii castra, regna, res bellicas: oderint hostem: nos, ut dicimus, semperque fecimus, urbem & res urbanas vobiscum pariter tuebimur.

Pro *oderint*, quod minime convenit, scribendum puto *viderint*, & hoc cum indignatione dictum accipe, coll. cap. 8. init. *Quo enim adspectu videre potero, (mitto hostem patriae, ex quo mihi odium in illum commune vobiscum est,) sed quomodo adspiciam mihi uni crudelissimum hostem*

ſtem cet.? —— An L. Antonium adſpicere potero? — — Non ferent, non ferent, inquam, oculi Saxam, Capphonem —— non poſſum animo aequo videre, tot, tam importunos, tam ſceleratos hostes.

ORAT. PHIL. XIV. Cap. 10.

Cum hoc triduo vel quatriduo tristis a Mutina fama manaret; inflati laetitia atque insolentia impii cives, unum se in locum, ad illam curiam, viribus potius suis, quam reipublicae infelicem, congregabant.

Legatur, ſuadeo, *rebus potius ſuis*. Indicatur curia Pompeja, in qua Caeſar trucidatus, rebus impiorum funeſta magis, quam reip. Phil. II. 26. Caeſar contra *reipublicae* dicitur *infelix*.

Ibid. Cap. 11.

Sed facile est bene agere cum iis, a quibus etiam tacentibus flagitari videmur. Illud admirabilius & majus maximeque proprium senatus sapientis est, grata eorum, virtutem memoria prosequi, qui pro patria vitam profuderunt.

Admirabilis Ciceroni ſaepius idem eſt, quod *egregius, excellens*, quod non animadvertit Ernes-

nestius, qui hoc vitiosum credebat, roguns: „Quid in eo est admirabile, si grata memoria „prosequimur mortuos?" Imo, excellentius erat, caesos milites monumenti honore prosequi, quam vivos, cum horum praesentia & adspectus id flagitare videretur, illorum interitus non raro oblivionem soleret adducere. Neque enim hic de viro quodam illustri, de amico, de cognato sermo est, sed de magno militum, qui pro patria ceciderant, numero, vid. Cap. 12. & 14. Eodem sensu vox adhibetur cum alibi, tum Orat. Cap. 35. *Tractatio rerum efficit admirabiliorem orationem.* Itaque & orat. pro C. Rab. Post. Cap. 16. *Haec mira laus est*, frustra tentatum ab Ernestio & aliis. *Mira laus* est eximia, praecipua. Similiter de opt. gen. orat. Cap. 6. *Isocratem Plato admirabiliter in Phaedro laudari fecit a Socrate.* Praeterea *mira laus* eo minus mutandum est, quia opponitur praecedenti sententiae *Quo minus admirandum est*, cet.

DE LEG. Lib. I. Cap. 2.

Nam post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse jucundius: cet.

Haec cum primum legerem, statim mihi scripsisse auctor visus est *jejunius*. Postea vidi jam Salmasium ita emendasse in codice, quem ejus manu

nomtum habebat Ernestius, quem vide ad Fabr. Bibl. Lat. Tom. I. p. 188.

OFFIC. Lib. II. Cap. 8.

Quod cum perspicuum sit, benevolentiae vim esse magnam.

Quod ne mutaveris cum Ernestio; positum pro *quare* vel simili conjunctione, velut ante *si*, *ni*, *nisi*, *ubi*, *utinam*, alia. De Fin. Lib. III. C. 2. *Quod cum accidisset, ut alter* cet. Caes. Bell. Civ. III. 68. *Quod cum esset animadversum, conjunctam esse fluminis.*

DE AMICIT. Cap. 10.

Sin autem ad adolescentiam perduxissent (amicitiam); dirimi tamen interdum contentione, vel uxoriae conditionis, vel commodi alicujus, quod idem adipisci uterque non posset; quodsi qui longius in amicitia provecti essent, tamen saepe labefactari, si in honoris contentionem incidissent: pestem enim majorem esse nullam amicitiis, quam in plerisque pecuniae cupiditatem, in optimis quibusque honoris certamen & gloriae, ex quo inimicitias maximas saepe inter amicissimos exstitisse.

Interpunctionem restitui, ut facilius haec intelligantur. Duae scilicet proponuntur amicitiarum pes-

pestes maximae, altera *pecuniae cupiditas*, altera *honoris certamen*; illa pertinet ad verba *dirimi contentione vel uxoriae conditionis, vel commodi alicujus*, haec *ad labefacturi; si in honoris contentionem incidisſent.*

Ibid. Cap. 17.

Imbecilla natura est ad contemnendam potentiam: quam etiamſi neglecta amicitia conſecuti ſunt, obſcuratum iri arbitrantur, quia non ſine magna cauſa ſit neglecta amicitia.

Obſcuratum iri i. e. ſuppreſſum, vulgo non reprehenſum iri. Tamen nonnihil asperitatis inest in hac dictione. Fortaſſe excidit negatio legendumque *non obſcurandum ſibi arbitrantur:* ut dicat auctor, amicitiam a multis adeo negligi prae potentia, ut hoc, quia tanta de cauſa fiat, ne diſſimulandum quidem existiment.

Ibid. Cap. 27. fin.

Vos hortor, ut ita virtutem locetis, ſine qua amicitia eſſe non potest, ut ea excepta nihil amicitia praeſtabilius putetis.

Graevius probante Ernestio corrigebat *virtutem colatis.* Sed in omnibus libris est *locetis* neque

hoc spernendum puto. Sic accipe: *eum virtuti locum adsignetis, ut huic prima sit, amicitia proxima.* *Ita* enim hic est, eo loco, eo dignitatis gradu; quod sequentia satis indicant. Orat. pro Mur. C. 14. *Duae sunt artes, quae possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis.* Cf. Phil. I. C. 6.

VIRG. AEN. Lib. I. vs. 314, 315.

Cui mater mediâ ſeſe tulit obvia ſylva,
Virginis os habitumque gerens, & virginis arma
Spartanae.

Virginis — & virginis Spartanae merito ut parum ſuaviter juncta notat Heynius, & *Naidos os* vel ſimile quid reponendum ſuſpicatur. Fortaſſe praeſtat legere: *Virginis os habitumque gerens Dea, virginis arma Spartanae.* Sublata copula omnis languor aberit. Neve obſtet forte alicui, quod *mater* modo praecesſit; apud Homerum itemque Virgilium *Dea* paſſim repetit ſubjectum, ex. gr. Aen. I. 691. *At Venus Ascanio placidam per membra quietem Irrigat; & fotum gremio Dea tollit.* Hom. Il. Γ. 424, ſq. Τῇ δ' ἄρα δίφρον ἐλοῦσα φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη, Ἀντὶ' Ἀλεξάνδροιο θεὰ κατέβηκε φέρουσα.

Ibid. vſ. 419, 420.

Jamque adſcendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet; adverſasque adſpectat deſuper arces.

In aliis libris est *adſpectant*, relatum ad Aenean & comitem; ſed vulgatum melius & poëta dignius.

Non aliter Ovidius Her. ep. v. vſ. 61. *Adſpicit immenſum moles nativa profundum; Mons fuit: aequoreis illa reſtitit aquis.*

Lib. II. vſ. 15.

Inſtar montis equum divina Palladis arte Aedificant.

Ne cui enormis videatur haec comparatio, meminerit ille, hominum quoque corpora ingentia cum montibus fuiſſe comparata, velut Cyclopum, Hom. Od. I. 191, ſq. Callimach. Hymn. in Dian. 52. Laestrigonum reginae Hom. Od. K. 113. Idem & alibi imitatus Virg. Aen. IX. 674. *Abietibus juvenes patriis & montibus aequos.*

Lib. IV. vſ. 381—384.

Iſequere Italiam ventis, pete regna per undas. Spero equidem mediis, ſiquid pia numina poſſunt, Supplicia hauſurum ſcopulis, & nomine Dido Saepe vocaturum.

Dictio *ſupplicia hauſurum* tenuit interpretes. Nonnulli emendare conati ſunt, legentes *ſupplicio haeſurum*. Heynius *haurire* pro accipere, adeoque fuere, dare poenas dictum arbitratur, velut vſ. 359. *vocem haurire*. Putem in intelligendum

dum esse poëtam, ut supplicia ponat pro ipsis undis, quas modo memoravit, quaeque, nave ad scopulos fracta, haustae supplicio forent Aeneae. Eodem tropo usus est Aen. VI. 715. *animae — oblivia potant.* Simpliciter rem expressit Hom. Od. Δ. 511. Ὡς ὁ μὲν ἔνθ' ἀπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ. cf. Od. M. 350. Pro diverso poëtae consilio & carminis genere contrarium est Didonis optatum Ovid. Her. VII. 62. *Neu bibat aequoreas naufragus hostis aquas.* Porro comparent tirones loca poëtarum, ubi praesertim pereuntes in aquis, & cum fluctibus luctantes, postremo, quod ad animos legentium miseratione imbuendos egregium est, nomina suorum sibique in vita carissimorum invocare narrantur; Hom. Od. M. 249, sq. Ulysses de sociis a Scylla abreptis ἐμὲ δὲ φθέγγοντο καλεῦντες Ἐξονομακλήδην, τότε γ' ὕστατον, ἀχνύμενοι κῆρ. Virg. Georg. IV. 525, sq. Prop. II. XX. 12. & III. V. 21, sq. Ovid. Met. XI. 560 sqq. Val. Flac. I. 291, sq. e recentioribus Reland. Galat. XIII. 31. ubi cf. P. Bosscha.

Lib. VII. vs. 666 — 668.

Ipse pedes, tegumen torquens immane leonis,
Terribili impexum saeta, cum dentibus albis,
Indutus capiti, sic regia tecta subibat Horridus, cet.

Tegumen torquens & *indutus capiti* non bene co-

coëunt. Planus erit sermo, si pro *tadutus* legamus *induitur*, & post *capiti* interpungamus.

Lib. VIII. vs 556, 557.

Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor, & major Martis jam apparet imago.

Verborum, *propius periclo it timor*, sensus est ambiguus. Vel significant ea, timentes mente & cogitatione sua propius iisse periculo, i. e. finxisse sibi propius adesse periculum, sicut Stat. Theb. VII. 457, sq. *plures annunciat hostes Majoresque timor*, & X. 556, sq. *ferrum undique & ignes Mente vident, saevas mente accepere catenas; Consumsit ventura timor:* vel, quod verius puto, paulo plenius hoc dictum, quod alias *propius timent*, ut apud Sil. I. 32., i. e. gravius timent, quo propius periculum.

Lib. IX. vs. 709 — 714.

Dat tellus gemitum, & clipeum super intonat ingens:
Qualis in Euboico Bajarum litore quondam
Saxea pila cadit; magnis quam molibus ante
Constructam ponto jaciunt; sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis illisa recumbit:
Miscent se maria & nigrae attolluntur arenae, cet.

Sic importune comparationem repetit, quapropter Heynius conjiciebat *fluctu illa* vel *si victa ruinam*.

nam. Series orationis commode restituetur, si pro *sic* scripseris *simul*, cujus literae posteriores a sequente syllaba *il* facile absorberi potuerunt. Deinde, punctis ad finem vsi 113. sublatis, junctim haec legas, *simul* (i. e. simulatque) *illa ruinam Prona trahit, penitusque vadis illisa recumbit, Miscent se maria*, cet. Ceterum haec comparatio amplificata videtur ex Hes. Asp. 421. Ἤριπε δ', ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν, ἢ ὅτε πίτυς Ἠλίβατος, πληγεῖσα Διὸς ψολόεντι κεραυνῷ.

TIB. Lib. I. El. I. vs. 1—6. (ED. HEYNII.)

Divitias alius fulvo sibi congerat auro,
Et teneat culti jugera multa soli,
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent.
Me mea paupertas vitae traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.

Secundum distichon a Broukhusio ad arbitrium Scaligeri post vs. 44. rejectum est, quod etiamsi Heynius non probet, tamen illud locum suum male tueri existimat; imo variis offensus difficultatibus spurium esse, vel interpolatum certe, suspicatur. Videamus, quaenam sint difficultates illae, & num forte aliquid opis admittant. Primum disticho priori alterum hoc parum respondere dicit vir clarissimus, quia, „ qui adhuc sub signis habetur, etsi forte congerere divitias dici possit, „ nondum tamen *tenet* culti jugera soli, aut, si „ tenet, alienum tamen hoc nunc a tota sententia." Sed concessio illa, quae sit praesenti conjunctivi, non necessario rem praesentem ac certam, sed futuram quoque & incertam saepe indicat. In ipso hoc carmine exemplum ad manum est vs. 49, sq. *Sit dives jure, furorem Qui maris*

ris & tristes ferre potest pluvias. Ubi poëta minime significat hominem, divitias jam habentem, sed susceptis expeditionibus sibi comparantem ac deinceps habiturum, quippe qui spe divitiarum fortunaeque futurae maris fert furorem, tristesque pluvias. Similiter h. l. *teneat* intelligendum de eo, qui opera militari divitias quaerit, easque tenebit aut tenere poterit. Alteram difficultatem peperit repetitio vocab. *assiduus*, quod vs. 6 redit: haec autem, si nulla alia causa accedat, non tanti est momenti, ut praecipue nos moveat, quoniam talium repetitionum apud optimos auctores non desint exempla. Deinde, quod *labor terrore* dicatur, parum accurate factum putat idem vir summus, quia *labor premit, urget, exercet, terrent autem mala, pericula, discrimina.* Quidni vero accipiamus *laborem* pro periculo? qua potestate occurrit v. gr. apud Hor. L. I. Epist. I. 44. *Vides, quae maxima credis Esse mala, exiguum censum, turpemque repulsam, Quanto devites animi capitisque labore,* aut in genere pro malis aerumnisque belli? quemadmodum saepius apud Virg. ex. gr. Aen. II. xii. *Si tantus amor casus cognoscere nostros, Et breviter Trojae supremum audire laborem.* Sic alibi *Trojae labores, Iliaci labores* cet. Sed malim tamen intelligere ipsam caedem & pugnam, assidue cum vicino hoste committendam, quae natura terribilia sunt; ut *labor* hic valeat, quod

apud

apud Homerum non raro ἔργον & πόνος, velut Il. P. 82. ὁ μὲν αὖθις ἔβη θεὸς ἀμπνύνον ἀνδρῶν. Cf. ibid. vſ. 365. ἔργον etiam apud Aesch. Sept. c. Th. 416. ἔργον δ' ἐν κύβοις Ἄρης κρίνει. Tandem gravi praeſertim incommodo laborant vſ. 4. *claſſica pulſa*. Non enim Romani veteres in militia, ſed tantum in ſacris quibusdam & choris, utebantur tympanis, qualia nunc fere inter equitum turmas adhiberi & bacillis pulſari ſolent; utebantur autem tubis, buccinis, lituis & cornibus: vid. Lipſius de mil. Rom. L. IV. dial. X. fin. Neque, quod arbitrabantur Nodellius in Not. crit. p. 70 & Huschkius in Epiſt. crit. ad L. Santenium p. 10., huc trahi potest Lucretii *tibia digitis pulſata canentum*: tubae enim & cetera, quibus claſſicum canebatur, inſtrumenta non ope digitorum, ſed tantum flatu canentium, nunc vehementiore, nunc remiſſiore, varioque oris habitu varios edunt ſonos, neque unquam, quod ſcio, perforata fuere, ſicut tibia, cujus foramina modo aperta, modo digitis clauſa, ſonorum varietatem efficiunt. Forſitan ſingulare hoc *pellere claſſica* defendi potest exemplo Graecorum, qui verba, ad inſtrumenta κρουόμενα proprie pertinentia, ad ἐπινεόμενα nonnunquam transferunt, ut Aristoph. Av. 683. Ἀλλ' ὦ καλλιβόαν κρέκουσ' Αὐλὸν, φθέγμασιν ἡμῖν Ἀρχοῦ τῶν ἀναπαίστων. Ubi Schol. κρέκουσα νῦν ἀντὶ τοῦ λαλοῦσα, (Suidas eundem fortaſſe locum reſpiciens αὐλοῦσα,) κυ-

κυρίως δὲ, τὸ τὴν κιθάραν κρούειν. Cf. Huschkius ep. crit. p. 9. Similiter κρούειν & κροῦσις occurrunt, e. e. apud Athen. L. XIV. C. I. Ab hac explicatione, quae exemplis allatis nonnihil firmari videtur, Heynius in notis textui subjectis non alienum se praebet, in observationibus vero discedit, proponens *classica rauca*. Quodsi tamen conjectura opus est, a literarum ductu minus abibit *jussa*. *Jubere classica* nota loquendi formula neque poëtis inusitata; Luc. Pharsal. II. 528. *Jamque secuturo jussurus classica Phoebo*. —

Itaque his rationibus in auxilium vocatis, non dubito, quin ferri possit hoc distichon; imo, quo minus loco movendum aut exterminandum arbitrer, aliae, quoque repugnant causae. Primum, eo remoto, non nisi sero causam intelligemus, quae ad defendendam inertiam suam vitamque privatam & rusticam Tibullum permoverat, invitationem scilicet Messalae, ut rei familiaris reparandae gratia, eum ipso in bellum proficisceretur; quae unica hujus carminis scribendi occasio videtur fuisse. Quare quam opportune, quaeso, jam in ipso initio poëta ad hanc rem alludit! Praeterea, nonne deërit aliquid, quod opponatur *vitae inerti*? cui nunc *labor assiduus* cet. optime respondent. Caeterum locus iste, in quem a Broukhusio distichon trajectum est, nullam habet lacunam; & nihil ille aliud secutus videtur, quam sententiarum similitudinem, nisi forte vicinum illud esse voluit versui

53. *Te bellare decet terra, Messala, Marique* cet. Sed ibi, quae versu praecedente memorantur, *viae*, cl. e. expeditiones belli causa suscipiendae, transitum reddunt satis commodum.

Ibid. vs. 25 — 28.

Jam modo non possum contentus vivere parvo,
Nec semper longae deditus esse viae;
Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
Arboris ad rivos praetereuntis aquae.

Prius distichon a pluribus varie tentatum est atque expositum. Heynius inter alia conjiciebat *Jam modo, jam possum*; nihilominus tamen totum ei distichon adeo displicebat, ut sublatum vellet & insertum opinaretur propter initium versus sequentis *Sed Canis*, quod depravatum putabat ex *Sb*, *Canis aestivos* cet. Sed omnia satis concinne fluunt, si mutata constructione verba *contentus vivere parvo* disjungas & *Nec* in *Heu* convertas, (literarum N. et H. in codd. eadem fere scriptura & inde frequens error, vid. Burm. ad Gratii Cynegi vs. 300.) ad hunc modum:

Jam modo non possum, contentus vivere parvo,
Heu semper longae deditus esse viae;
Sed Canis aestivos ortus vitare —

Dixerit nimirum poëta se, cum parvo vivere contentus esset, expeditioni longinquae, in quam ad

ad ſarciendam rei familiaris jacturam invitatus fuerat, vacare non poſſe, ſed poſſe ſecurum ruris amoenitate frui. Cf. initium carminis.

Ibid. El. III. vſ. 37.

Nondum coeruleas pinus contemſerat undas.

Imitatus est Janus Sec. Lib. I. El. VII. *At postquam domibusque fores foribusque ſubivit Clavis, & aequoreas navita ſprevit aquas.* Heynio tamen *pinus contemſerat undas* pro Tibulli ſimplicitate nimis magnifice dictum videtur. Sed hic quoque, ſiquando res postulat, aſſurgere non timet, ex. c. L. II. El. III. 41 ſqq. *Praedator cupit immenſos obſidere campos, Ut multo innumeram jugere pascat pvem. Cui lapis externus curae est; urbique tumultus, Portatur validis mille columna jugis; Claudit & indomitum moles mare, lentus ut intra Negligat hibernas piscis adeſſe minas.* Praeterea quaecunque res ab injuriis & periculis manet incolumis, non raro ea *contemnere, ſpernere, negligere* dicitur. Virg. Georg. III. 360. *contemnere ventos adſuescent* (ſurculi vitium.) Aen. III. 75. *Immotamque* (Delum) *ooli dedit & contemnere ventos.*

Lib. II. El. I. vſ. 55—58.

Agricola & minio ſuffuſus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus, a pleno memorabile munus ovili,
Dux pecoris hircus: duxerat hircus oves.

Postrema prorſus abundant, cum praecedat *dux pecoris*. Heinſius emendarat *hirtas duxerat hircus oves*. Sed neque ſic rem confectam eſſe videbat Heynius, qui hemiſtichium illud vix genuinum, imo totum diſtichon ex margine irrepſiſſe ſuſpicabatur. Cum vero in libris & edd. antiquis legatur *auxerat*, (*duxerat* est ex emendatione Mureti & Scaligeri,) in promtu mihi fuit conjectura:

Huic, datus a pleno, memorabile munus, ovili,
Dux pecoris, curtas (ſi parvas) auxerat hircus opes.

Sentis postrema, ſic mutata, convenienter explicare illud *memorabile munus*.

Wasſenbergius, quo praeceptore uti mihi licuit egregio, humaniſſimo, inventum probabat, malebat autem, quod & mihi nunc perplacet,

Dux pecoris, hircus: auxerat hircus opes.

Ibid. El. IV. vſ. 37, 38.

Hinc (per avaritiam puellarum) *fletus rixaeque ſonant; haec denique cauſa*
Fecit, ut infamis hic deus eſſet Amor.

His

Hic Deus languere, vidit quidem Heynius, ſed in ſanando loco parum ſibi placuit. Broukhuſius conjecerat: *nunc deus erret*. Simpliciori medela ſuccurrere mihi videor, mutans *hic* in *nec*, quae mutatio eo levior habenda est, quia literarum H & N, ut ſupra p. 178 jam notavi, in MSS. frequens est confuſio. Intelligit unusquisque, quam aptus inde nascatur ſenſus. Favet Euripidis ſententia in fragm. Glauci, fabulae deperditae, p. 462. ed. Barneſ. Εἰ θεοὶ τὶ δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶ θεοὶ. & epigr. Rufini Anthol. gr. Tom. III. 254. ed. Bosch. Εἰ μὲν ἐπ' ἀμφοτέροισιν, Ἔρως, ἴσα τόξα τιταλνεις, Εἶ θεὸς. εἰ δὲ ῥέπεις πρὸς μέρος, οὐ θεὸς εἶ. Senec. Hippol. 195. *Deum eſſe Amorem turpis & vitio favens Finxit libido*. cet. Veteres rebus dubiis ac desperatis facile impulſos fuiſſe, ut deos esſe infitiarentur, res nota est. Multa loca huc ſpectantia contulit Barthius ad Claud. Lib. I. in Ruf. init. Convenienter e rebus proſperis contrarium argumentabantur. Hom. Od. Ω. 350. Ζεῦ πάτερ, ἦ ῥα ἔτ' ἐστὲ θεοὶ κατὰ μακρὴν Ὄλυμπον. cet. cf. loca a Clarkio laudata.

Lib. III. El. IV. vſ. 1—4.

Dî meliora ferant, nec ſint inſomnia vera,
Quae tulit extrema peſſima nocte quies.
Ite procul. Vanum falſumque avertite viſum;
Deſinite in vobis quaerere velle fidem.

Posterius distichon, etiamsi a Scaligero ita concinnatum, idoneo sensu plane caret. Ante Scaligerum vero ubique editum erat: *Ite procul, vani*, quod Heynius etsi in *vates* mutaverat, tamen locum haud persanatum esse sentiebat. Wassenbergius, veteri illa lectione *vani* adductus, emendat:

Ite procul, vani falsique facessite visus,
Definite & vobis quaerere velle fidem.

Ego conjeceram,

Ite procul, vates; falsum ne advertite visum:
Desinite in somnis (quod habet unus cod. Italicus) vel
Desino & in vobis quaerere velle fidem.

Ibid. vs. 51, 52.

Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
Quantum nec cupido bella puella viro.

Ad hoc distichon Heynius: „mirum", ait, „poëtam amorem suum Neaerae, speratae conjugis, comparare cum amore matris in filiam „& amatoris in puellam suam. Neutra, vereor, „ut satis commoda sit." Certe, si nihil aliud versus minor significaret, nisi hoc, Neaeram Tibullo, amatori suo, cariorem fuisse, quam puellam quamcunque amatori suo, putidum id esset, nec quidquam faceret ad amorem ejus praecipue lau-

laudandum; ſin vero declarare voluiſſet poëta, amatorum omnium amori ſuum antecellere, ſcripſiſſet potius: *Quantum vel cupido nulla puella viro.* Senſum tolerabilem hic verſus, ut mihi videtur, non admittit, niſi *virum* pro marito dictum eſſe ſtatuamus. Nimirum his comparationibus duplicem illam amoris virtutem complecti voluit, integritatem puta & ardorem. Ad hunc praedicandum dignisſima viſa est ea flamma, qua cupide amans maritus in novam nuptam accenditur; ut vero intimam animi curam ſinceramque caritatem exprimeret, quid, quaeſo, in univerſa rerum natura excogitare potuit ſincerius, ſuavius blandiusque, quam matris in filiam amor? Itaque & alii hoc & ſimilibus comparationibus, a cognatorum caritate deſumtis, uſi ſunt, e. c. Catull. Carm. LXVIII. ad Manlium vſ. 119, ubi de amore Laodamiae: *Sed tuus altus amor, barathro fuit altior illo, Qui tunc indomitam ferre jugum docuit. Nam neque tam carum confecto aetate parenti Una caput ſeri gnata nepotis alit: Qui, cum divitiis vix tandem inventus avitis Nomen testatas intulit in tabulas, Impia derisi gentilis gaudia tollens Suscitat a cano vulturium capite. Nec tantum niveo gaviſa est ulla columbo Compar: quae multo dicitur improbius Oscula mordenti ſemper decerpere rostro.* Carm. LXXII. *Dicebas quondam, ſolum te noſſe Catullum, Lesbia; nec prae me velle tenere Jovem.*

vem. Dilexi tum te, non tantum ut volgus amicam, Sed pater ut gnatos diligit & generos. In utroque exemplo duplici itidem comparatione laudatam vides & flagrantem voluptatem & sinceritatem amoris, Venerem terrestrem coelestemque velut uno vinculo copulatas. Prop. I. XI. 21. *An mihi non major carae custodia matris, Aut sine te vitae cura sit ulla meae? Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,* (ubi pro *An mihi non major*, quae sensum intricatum reddunt, restituendum puto *At mihi num major. At mihi* in nonnullis codd. quoque legitur.) & II. XIV. 24. *Quum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus, Frater ego & tibi sim filius unus ego.* Ter. Andr. I. V. 60. *Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem.* & jam ante omnes Hom. Il. Z. 429. ubi Andromache: Ἕκτορ, ἀτὰρ σύ μοι ἐσσὶ πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ, Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης. Cum cura materna Homerus quoque comparat Minervae curam de salute Menelai Il. Δ. 130. Οὐδὲ σέθεν, Μενέλαε, θεοὶ μάκαρες λελάθοντο Ἀθάνατοι, πρώτη δὲ Διὸς θυγάτηρ ἀγελείη, Ἣ τοι πρόσθεν στᾶσα, βέλος ἐχεπευκὲς ἄμυνεν. Ἣ δὲ τόσον μὲν ἔεργεν ἀπὸ χροὸς, ὡς ὅτε μήτηρ Παιδὸς ἐέργει μυῖαν, ὅθ' ἡδέϊ λέξατο ὕπνῳ. & Cicero suum patriae amorem Ep. ad Div. IX. 20 *Patriam eluxi jam & gravius & diutius, quam ulla mater unicum filium.* Duo quidem posteriora loca cum nostro Tibulli, ubi de

de amore in puellam fermo est, non tota conveniunt; addidi autem, ut pateret, praecipue amorem maternum, (apud Propertium quoque amorem erga matrem,) auctoribus ad comparandum inserviisse, qua in re naturam maxime secuti sunt. Matres enim plerumque indulgentiores & amore procliviore sunt in liberos atque hi vicissim in illas. Aristot. Ethic. L. IX. C. VII. δοκεῖ δὴ, τὸ μὲν εὖ πάσχειν, ἄπονον εἶναι· τὸ δ' εὖ ποιεῖν, ἐργῶδες· διὰ ταῦτα δὲ καὶ αἱ μητέρες φιλοτεκνότεραι. Cic. pro Cluent. C. V. *ipsum nomen amantius indulgentiusque maternum.* Edm. Burke *Philosoph. Enquiry into the origin of our ideas of the sublime and beautiful* part. III. sect. X. *The authority of a father, so useful to our wellbeing; and so justly venerable upon all accounts, hinders us from having that entire love for him, that we have for our mothers, where the parental authority is almost melted down into the mothers fondness and indulgence. But we generally have a great love for our grandfathers, in whom this authority is removed a degree from us, and where the weakness of age mellows it into something of a feminine partiality.*

Ibid. El. VI. vs. 9—18.

Vos modo proposito, dulces, faveatis, amici,
Neve neget quisquam me duce se comitem.

Aut ſiquis vini certamen mite recuſat,
Fallat eum tecto cara puella dolo.
Ille facit dites animos deus: ille ferocem
Contudit, & dominae miſit in arbitrium.
Armenias tigres & fulvas ille leaenas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.
Haec Amor & majora valet; ſed poscite Bacchi
Munera; quem vestrum pocula ſicca juvant?

Ante vſ. 13. deprehenditur hiatus; e praecedentibus enim non apparet, qui ſit ille deus. Interpretes fere Bacchum intelligunt, Heynius vero Amorem, quia quaedam in his verſibus occurrunt, quae in Bacchum convenire non putat; tum quia ſequitur *Haec Amor & majora valet.* Cum vero nec Amoris ſit *dites animos facere*, pro *dites* reponit *mites*, quod amplectitur Burmannus ad Prop. I. V. 12. ita tamen, ut ſimul, ad evitandam ejusdem vocis repetitionem, vſ. 11. pro *certamen mite* legendum cenſeat *certamen inire.* Mihi vero, quia poëta, ex Neaerae perfidia dolens, amorem vino velut restinguere parat, Bacchi potius quam Cupidinis laudes intelligendae videntur. Itaque omnem difficultatem unius distichi trajectione facillime tolli poſſe existimo, ſi nempe vers. 17 & 18 ante 13 ponantur, exigua vocum immutatione admiſſa, ad hunc modum:

Aut ſiquis vini certamen mite recuſat,
Fallat eum tecto cara puella dolo.

Hoc

Hoc Amor & pejora velit: ſed poſcite Bacchi
Munera; quem veſtrum pocula ſicca juvant?
Ille facit dites animos deus: cet.

Dictum illud ardentius *Haec Amor & pejora velit* decepti amatoris animo, dum adhuc calet indignatione, perquam erit conſentaneum. Verſus autem 13 & ſqq. ad Bacchum commode referentur. Ceterum vſ. 17 *valet* repoſitum est a Brouk-huſio, cum antea legeretur *volet*, in Sfortiae autem libro *dedit*, quae varietas juvare potest conjecturam meam. *velit*.

Aut ſiquis vini certamen mite recuſat,
Fallat eum tecto cara puella dolo.
Ille facit dites animos deus: ille ferocem
Contudit, & dominae miſit in arbitrium.
Armenias tigres & fulvas ille leaenas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.
Haec Amor & majora valet; ſed poscite Bacchi
Munera; quem vestrum pocula ſicca juvant?

Ante vſ. 13. deprehenditur hiatus; e praecedentibus enim non apparet, qui ſit ille deus. Interpretes fere Bacchum intelligunt, Heynius vero Amorem, quia quaedam in his verſibus occurrunt, quae in Bacchum convenire non putat; tum quia ſequitur *Haec Amor & majora valet.* Cum vero nec Amoris ſit *dites animos facere*, pro *dites* reponit *mites*, quod amplectitur Burmannus ad Prop. I. V. 12. ita tamen, ut ſimul, ad evitandam ejusdem vocis repetitionem, vſ. 11. pro *certamen mite* legendum cenſeat *certamen inire.* Mihi vero, quia poëta, ex Neaerae perfidia dolens, amorem vino velut restinguere parat, Bacchi potius quam Cupidinis laudes intelligendae videntur. Itaque omnem difficultatem unius distichi trajectione facillime tolli poſſe exiſtimo, ſi nempe vers. 17 & 18 ante 13 ponantur, exigua vocum immutatione admiſſa, ad hunc modum:

Aut ſiquis vini certamen mite recuſat,
Fallat eum tecto cara puella dolo.

Hoc

Hoc Amor & pejora velit: ſed poſcite Bacchi
Munera; quem veſtrum pocula ſicca juvant?
Ille facit dites animos deus: cet.

Dictum illud ardentius *Haec Amor & pejora velit* decepti amatoris animo, dum adhuc calet indignatione, perquam erit conſentaneum. Verſus autem 13 & ſqq. ad Bacchum commode referentur. Ceterum vſ. 17 *valet* repoſitum est a Brouk-huſio, cum antea legeretur *volet*, in Sfortiae autem libro *dedit*, quae varietas juvare potest conjecturam meam *velit*.

PROP.

PROP. Lib. I. El. I. vs. 17, 18. (EDIT. KUINOEL.)

In me tardus Amor non ullas cogitat artes,
Nec meminit notas, ut prius, ire vias.

Burmannus, quia plures codd. & editt. principes habent *nonnullas*, legendum ſuſpicatur *In me ſurdus Amor nonnullas cogitat artes, Nec memini* cet. exponens, *malas artes & dolos meditatur.* Haud verum puto. Opponuntur haec allato Milanionis exemplo, qui amatae puellae ſtudiis inſerviendo multisque officiis praeſtandis durum hujus animum mollierat ſibique conciliarat; Propertii vero mentem gravis Amor adeo oppreſſerat, ut nullam viam aut rationem inveniret, quae ad Cynthiam amore mutuo inflammandam idonea eſſet, imo (vſ. 18.) conſueta etiam ſe commendandi ſubſidia, quibus olim aliis placuerat, ipſum deficerent. Cf. 5, ſq. *Donec me docuit caſtas odiſſe puellas Improbus, & nullo vivere conſilio.*

Artes proprium & frequens amantibus amorumque magistris vocabulum de blanditiis & gratificationibus, quibus captentur puellae. Ovid. Art. I. 265. *Nunc tibi quae placuit, quas ſit capienda*

per

per artes. Cf. Id. Heroid. Ep. XX. 47. Tib. I. IV. 82. Similiter ponuntur graeca τέχνη & μηχαναὶ. Plato Sympoſ. Ἔρως θηρευτὴς δεινὸς, ἀεί τινας πλέκων μηχανὰς. Quod imitatus Ariſtaen. Ep. X. Πλὴν αὐτὸς ὁ τρώσας (Ἔρως) ἀεί τινας παραδόξους μηχανὰς διαπλέκων, ὑπέθετό σοι καινοτάτην βουλήν. Inde apud Theocritum, quem jam Gebhardus & Livineius laudarunt, Id. XIV. 52. ἔρως ἀμηχανέων & Id. I. 85. amator δυστερὼς καὶ ἀμήχανος.

Ibid. El. II. vſ. 23, 24.

Non illis ſtudium vulgo conquirere amantes.
Illis ampla ſatis forma, pudicitia.

Vocabulum *vulgo* aptiſſime deſignat morem puellarum vulgarium, quae variis formae adminiculis adſcitaque pulcritudine paſſim ac publice viros ſolent allicere, a qua conſuetudine abhorrent pudicae, ipſa pudicitiae virtute ſatis commendatae. Itaque & heroinis illis non inferiorem ſe habiturum eſſe Cynthiam ſuam infra teſtatur vſ. 25 ſqq. modo depoſita luxuria uni ſibi placere ſtuderet. Vulgares illas alloquitur Ovid. Fast. IV. 865. *Numina vulgares Veneris celebrate puellae. Multa profeſſarum quaestibus apta Venus. Poſcite thure dato formam populique favorem: Poſcite blanditias dignaque verba foco.* Dictionem

Pro-

Propertianae non dissimilem habet Terentius Heaut. III. I. 38. *ea coacta ingratiis Post illa coepit victum vulgo quaerere.* Idcirco non necessarias arbitror conjecturas, neque Kotenii *cultu*, neque Eldikii *fuco*.

Ibid. El. IV. vs. 5—13.

Tu licet Antiopae formam Nycteidos, & tu
Spartanam referas laudibus Hermionen.
Et quascunque tulit formosi temporis aetas,
Cynthia non illas nomen habere sinet.
Nedum si levibus fuerit collata figuris,
Inferior duro judice turpis eat.
Haec sed forma mei pars est extrema furoris.
Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat.
Ingenuus color, & multis decor artibus, & quae
Gaudia cet.

Laudat primum poëta externam Cynthiae formam, qua puellis omnis memoriae pulcerrimis illam antecellere contendit. Addit autem vs. 11 & 12 formam illam amoris sui levissimam causam, & praestantiora quaedam esse ac digniora, quibus devictum animum praebeat. Igitur inter haec quomodo vs. 13. recenseri potest *color*, qui vel maxime ad formam pertinet? Corruptam esse credo hanc vocem, quae Ayrmanno quoque suspecta fuit reponenti *pudor*. Scribendum mihi videtur

In-

ingenuus lepor. Cynthiae gratiam ac leporem eximium hic ab amatore praetermissum fuisse non credibile est, cum his maxime opere delectatum coptumque illum noverimus. El. II. 29. *Non ego nunc vereor, ne sis mihi vilior istis: Uni squa placet, culta puella sat est. Quum tibi praesertim Phoebus sua carmina donat, doctaque libens Calliopea lyram. Unica nec desit jucundis gratia verbis, Omnia quaeque Venus, quaeque Minerva probat.* Ob eandem causam sequentia *et multis decus artubus* non sollicitaverim. Proclive quidem fuit quibusdam mutare *artubus*, Theod. Marcilio *mutis decus artubus*, Burmanno Sec. *cultis* vel *nitidis* vel *mollis decor artubus* & Io. Sterkio in Act. lit. societ. Rheno-Trajectinae Tom. I. *multus decor artubus*; sed artuum sive corporis elegantia ad formam itidem referenda est, qua tamen majus aliquid spectat poëta. Itaque hic retinendam esse lectionem vulgatam censeo. Artes, quibus Cynthia decus ac gratiam sibi comparaverat, fuere musice, poëtice, ars saltandi atque texendi, sermonis suavitas & lepor, quemadmodum perspicuum est ex loco modo laudato, & ex iis, quae ibi plura affert Broukhusius, itemque ad h. l. Passeratius & Gebhardus. Ergo laudatur puella propter egregia, non formae tantum, sed animi quoque & ingenii bona. Neque aliter praeiverat poëtarum ille princeps feminas praestantissimas describens, ex. gr. Il. I. 389. κούρην δ'

οὔ

ὁ γαμέων Ἀγαμέμνονος Ἀτρεΐδαο· Οὐδ' εἰ χρυσείῃ Ἀφροδίτῃ κάλλος ἐρίζοι, Ἔργα δ' Ἀθηναίῃ γλαυκώπιδι ἰσοφαρίζοι. & N. 432. Ἱππόδαμειαν, Τὴν πέρι κῆρι φίλησε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ Ἐν μεγάρῳ· πᾶσαν γὰρ ὁμηλικίην ἐκέκαστο Κάλλεϊ καὶ ἔργοισιν· ἰδὲ φρεσί. Cf. Heſiod. ſcut. Herc. vſ. 4. ſqq. Quorum Coryphaeorum vestigia plures deinde ſecuti rem varie amplificarunt.

Ipſe etiam Propertius ſuum in Cynthiam amorem minime vulgarem ſimili ſententia declarat Lib. II. El. II. 19 ſqq. Kuinoelius, cui vulg. *color* non placet, meae quidem conjecturae mentionem facit, ſed praefert illam Ayrmanni *pudor*, qui tamen, meo quidem ſenſu, & a puellae moribus & ab hoc loco alienus eſt. Suspicatur autem illius lasciviam ita clam, adeoque per ironiam, carpi, ſed hoc quomodo ferri poſſit in carmine, quod totum in ejusdem laude conſumitur?

Ibid. El. VI. vſ. 13—18.

An mihi ſit tanti doctas cognoscere Athenas,
Atque Aſiae veteres cernere divitias,
Ut mihi dedecuit faciat convicia puppi
Cynthia, & infanis ora notet manibus?
Osculaque oppoſito dicat ſibi debita vento,
Et nihil infido durius eſſe viro?

Ad vſ. 17. *Osculaque oppoſito* cet. multae ſunt vi-

virorum doctorum conjecturae & explicationes, quas recenſere omnes longum foret. Harum tamen nulla mihi ſatisfacit. Senſus quidem, quem Burmannus ſec. praeeunte patruo ex comparatis Val. Flacci Argon. II. 407 & Ovidii Heroid. VII. 41. huc transtulit, & cui inhaeret Kuinoelius, valde contortus est neque huic loco convenit. Legit nempe *dicat mihi*, vel *ſibi debita* pro *a ſe* i. e. *ſe debere* accipit, (quod revera ſatis durum ac ſingulare,) verſumque ita interpretatur, „ut Cynthia dicat ſe oscula, quae a Propertio in procinctu ſtante accepiſſet, non illi, „ſed vento contrario, iter moranti, debuiſſe." Sed Propertium vento contrario retentum fuiſſe, quominus iter ingrederetur, nusquam legimus. Imo profitetur ſe iter illud, ad quod a Tullo invitatus erat, ſuscipere non poſſe, propterea quod Cynthiam amaret neque committere vellet, ut flentem eam ac de perfidia querentem relinqueret. Cum igitur h. l., nempe vſ. 15 & tribus ſqq., animo tantum ſuo proponat ingentem triſtitiam, qua, ſi nave deducta abiiſſet, puellae mentem afflicturus eſſet, qui locus eſſe potest vento contrario, aut qua probabili ratione poëtam finxiſſe credemus, fore, ut tunc, ne proficiſceretur, ventus eum impediret aliquamdiu? Nihil abſurdius. Apud Flaccum & Naſonem rerum temporumque longe diverſa est ratio.

Oppoſita, ſicut *adverſa*, ſaepe dicuntur ea

quaecunque ante faciem noſtram verſantur, ex. gr. Ovid. Her. VI. 26. *in oppoſita lumina fixus humo.* Ita *ventus oppoſitus* hic dicitur, qui loquentis vultum affaret; quemadmodum fere Scaliger in altera editione Propertii explicuit his verbis: „*oppoſito*, adverſo, ut oppoſiti ſunt vultus eorum „nobis, quibuscum expoſtulamus". Similiter Fonteinius apud Huschkium in Epiſt. ad Santen. p. 29; quamquam hi legunt *ponto* pro *vento* praeter neceſſitatem. Fonteinium putantem, puellas amatorum diſceſſum non ad ventos querelas ſuas effundere, refellit Huschkius, ſaltem ab iis, qui in calamitate verſantur, hoc fieri probat, ipſum teſtatus Propertium L. III. v. 11. ibique Broukhuſ. Imo puellas amantes idem feciſſe idoneus nobis auctor eſt Ovidius Her. X. 113. ubi Ariadne: *Vos quoque, crudeles venti, nimiumque parati, Flaminaque in lacrymas officioſa meas.* Nempe homines vehementiore aliqua perturbatione abrepti, ut animo morem gerant ac ſatisfaciant quodammodo, ad quasvis res inanimatas orationem convertere ſolent, eumque impetum duce natura ſaepius imitatione expreſſerunt poëtae atque oratores optimi. In his Horatius, Virgilio, amico cariſſimo, Athenas profecturo, timens propter maris pericula, navem, quam ille conſcenderat, alloquitur L. I. Od. III. 1 ſqq. *Navis, quae tibi creditum Debes Virgilium, finibus Atticis Reddas incolumem, precor, Et ſer-*

serves animae dimidium meae. Atque hic ipse locus filum mihi praebuit, quo ex obscurarum Propertiani versus interpretationum labyrintho me expedirem, ipsamque poëtae mentem, ut opinor, assequerer. Uti Horatius navi, qua vehebatur Virgilius, dicit, eam sibi amicum suum debere, locutionem a pignore mutuatus; ita Cynthia vento, ipsam afflanti, dum navigantem abriperet amatorem, dicere fingitur, illum sibi debere oscula Propertii s. Propertium osculantem, amantem, ut adeo hunc incolumem ejusque fidem incorruptam a vento reposcat. Callimachus, cujus diligentissimum imitatorem fuisse Aurelium ex ipso novimus, eodem sensu posuit verbum ὀφέλλειν fragm. in Apollonii schollis servato, IV. 1322. Δέσποιναι Λιβύης, Ἡρωΐδες, αἱ Ναταμώνων Αὔλιν καὶ δολιχὰς θῖνας ἐπιβλέπετε, Μητέρα μοι ζώουσαν ὀφέλλετε. Quocum Horatii locum commode comparavit Anna Fabri Fragm. III. Addo Val. Flacc. Arg. V. 278.

Ibid. vs. 27 — 30.

Me sine, quem semper voluit fortuna jacere,
Hanc animam extremae reddere nequitiae.
Multi longinquo periere in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.

Burmannus reponit *me mea terra tegat*, & si recte ejus verba capio, hoc modo locum intelle-

ctum vult; *multi perierunt in amore, quem in terris disfitis quaesiverant, ego vero similiter quidem perire, sed in patria cupio.* Quam sententiam menti poëtae convenire dicit, quia „ tota „ hac elegia se excusat apud Tullum, quod itineris in Asiam se comitem ipsi deneget, quia „ Cynthiae vincula se remorabantur ". Profecto amor Cynthiae in causa erat, cur in Asiam comitari amicum recusaret; verum alterum illud, eam in regione remota quaerere amorem nolle, a tota hac re alienum censeo. Probabile enim non est, eum hac excusatione usum esse apud Tullum, a quo non invitatus erat, ut puellas peregrinas viseret, aut merae voluptatis gratia iter faceret, sed ut reipublicae causa secum peregrinaretur, uti patet ex vs. 19. sqq. *Tu patrui meritas cona-re anteire secures, Et vetera oblitis jura referre foris. Nam tua non aetas unquam cessavit amori, Semper at armatae cura fuit patriae,* tum ex vs. 29, 30. *Non ego sum laudi, non natus idoneus armis; Hanc me militiam, fata subire volunt.* Cf. vs. 34, 35. Itaque menti poëtae melius, imo optime convenire arbitror lectionem vulgatam, modo cum Heinsio & Broukhusio *longinquo* de tempore intelligamus, quae significatio frequenter occurrit. (Exempla dedit Broukh., quae pluribus, si necesse esset, augere possem.) Nempe id dicit Propertius, se itineris causa non posse puellam relinquere, neque rebus agen-

agendis aptum, ſed in amore longinquo, i. e. diuturno & non interrupto, velut fortuna ſua jubente, pereundum ſibi eſſe; cui excuſationi nonnihil ponderis addit, dum multos ita libenter periiſſe monet. Hunc ſenſum ut loco tribuamus, ſuadent etiam praecedentia: *Me ſine — Hanc animam extremae reddere nequitiae*, h. e. ad mortem usque amoribus indulgere.

El. IX. vſ. 27 — 30.

Quippe ubi non liceat vacuos ſeducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine, cedat Amor?
Qui non ante patet, donec manus attigit oſſa,
Quisquis es, aſſiduas ah! fuge blanditias.

Si cujus oculi deſiderio amatae puellae nunquam ſunt vacui, ita ut neque amorem illum deponere neque alio transferre poſſit, haec certi invictique amoris indicia ſunt. Hic mihi ſenſus videtur eſſe prioris diſtichi, quem juvat etiam verſus 30, ubi auctor monet, fugiendas eſſe aſſiduas, ſc. ejusdem puellae, blanditias; itemque hujus libri El. XII. 17, 18. *Aut ſi despectus potuit mutare calores, Sunt quoque translata gaudia ſervitio.* Scilicet *vigilare alio nomine*, interpretor, *amare aliam puellam.* Nomen enim pro homine ponitur; Cic. pro Arch. IV. *Quaeres a nobis, Grati, cur tantopere hoc nomine*

delectemur. Tib. III. IV. 61. *Ah! crudele genus, nec fidum femina nomen!* ubi vid. Heynius.

Porro vs. 29. sic intelligo: *Amor ille, certus nempe & non cessurus, tum demum se prodit, quum eius manu conjectae sagittae jam ipsa amantis ossa, ipsum animum penitus vulnerarunt. Manus* eximie designat artem & opus, quodcunque manibus fit, inprimis telorum jactum. Virg. Aen. V. 499. *Ausus & ipse manu* (i. e. missa sagitta) *juvenum tentare laborem.* Cf. Cerda & Heynius. Ita χεῖρες apud Hom. Il. A. 97. Οὐδ' ὅγε πρὶν λοιμοῖο βαρείας χεῖρας ἀφέξει, de Apolline sagittas mortiferas eminus in Graecos jaculante; quem versum perperam cepit Koeppenius, dum Apollinem sibi proponit Graecos infesta manu prehendentem. Ἐκηβόλος enim (vs. 48) ἕζετ' ἀπάνευθε νεῶν, μετὰ δ' ἰὸν ἑήκε, & ubique sagittae Dei memorantur. Neque etiam necessaria Marklandi conjectura Κῆρας, quamquam in textum eam recepit Wolfius. Comparemus porro Mosch. Id. I, 13. Μικκύλα μὲν τήνῳ τὰ χερύδρια, μακρὰ δὲ βάλλει. Tib. II. I. 70. *Illic indocto primum se exercuit arcu* (*Cupido*), *Hei mihi! quam doctas nunc habet ille manus!* Sen. Hippol. 60 sqq. *tua Gaetulos dextra leones, tua Cretaeas Sequitur cervas: nunc veloces Figis damas leviore manu.* Itaque miror Scaligerum nesciisse, quid faceret vocab. *manus*, atque ideo illam sententiam impro-

probasse. Praeterea, quod addit, non eam vim esse verbi *attigit*, ac poëtam potius usurum fuisse simplici *tetigit*, ut II. XXXIV. 60. *Quam tetigit jactu certus ad ossa Deus*, & in eo fallitur. Compositum *attingere* itemque *contingere* eadem significatione *feriendi* inveniuntur. Ovid. Fast. III. 201. *quos dolor attigit.* Sil. XI. 148. *Stare inter praelia nullis Attactum telis.* Virg. Aen. V. 509. *avem contingere ferro Non valuit.* Propert. ipse habet I. I. 2. *Contactum nullis ante Cupidinibus.*

El. XI. vs. 15, 16.

Ut solet amoto labi custode puella
Perfida, communes nec meminisse Deos.

Labi vulgo interpretantur *peccare*, sed levius illud dictum videtur de perfida. Malim sumere pro *elabi*, *furtim & callide aufugere*, hoc sensu: *ut puella, amoto custode elapsa, amoris pacti meminisse non solet, sic tu, Bajas profecta sine me, alterius viri blanditiis fortasse aurem praebes, mei immemor.* Ovid. Am. III. I. 49. *Per me decepto didicit custode Corinna Liminis adstricti sollicitare fidem, Delabique toro.*

El. XIII. vſ. 5 – 8.

Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
Certus & in nullo quaeris amore moram;
Perditus in quadam tardis pallescere curis,
Incipis, & primo lapſus abire gradu.

. . . . . .

Gradus vox eſt militaris & palaeſtrica de ſtatu, quem pugnans aliquis firmiter obtinet, quo autem devictus non tantum *dejici*, *depelli*, *moveri* dicitur, ſed etiam *labi* & *cadere*. Sen. Agam. 512 ſqq. *Invidet Pyrrhus patri, Ajaci Ulyſſes, Hectori Atrides minor; Agamemnon Priamo; quisquis ad Trojam jacet, Felix vocatur, cadere qui meruit gradu, Quem fama ſervat, victa quem tellus premit.* Qui locus, recte a Gronovio defenſus & illuſtratus, lucem capit ex Propertiano, & huic mutuam impertit. Dictio, *primo lapſus abire gradu* tota eſt ex palaeſtra deſumta, uti egregie demonſtravit Huschkius Anal. Crit. p. 55. Quamobrem non audiendus Burmannus, qui Heinſii lectionem *laſſus*, ut veriſimam, praedicat.

Ibid. vſ. 11, 12.

Haec tibi vulgares istos compeſcet amores,
Nec nova quaerendo ſemper amicus eris.

Senſus pentametri paulo obſcurior, quem nescio an

an satis recte constituerint interpretes, hic mihi videtur esse: *neque novas puellas* (I. XVIII. 10 *An nova tristitiae causa puella tuae?*) *assidue quaerendo jucundus eris illi, quam nunc misere amare coepisti; mutuum illa amorem tibi denegabit, atque ita vulgares istos amores compescet.* Ita *amicus* ponitur I. XVIII. 20. & Horat. Od. I. XXVI. 1. Possis etiam sic intelligere: *dum novas puellas quaeris, non semper iis amicus tantum eris vagis amoribus operam dando, sed unius tandem ardens & assiduus amator.* Priorem vero rationem praefero.

Ibid. vs. 21—26.

Non sic Aemonio Salmonida mixtus Enipeo.
Tacnarius facili pressit amore Deus.
Non sic coelestem flagrans amor Herculis Heben
Senfit ab Oetaeis gaudia prima jugis.
Una dies omnes potuit praecurrere amantes:
Nam tibi non tepidas subdidit illa faces.

Burmannus vs. 25. feliciter emendasse Heinsium pronunciat *Una adeo haec*, pro quo tamen ipse mavult *Una adeo en.* Sed cave, nequid mutes. Versus ille pertinet ad Gallum, cujus amor una illa die, qua ejus complexibus interfuerat Propertius, vetera ista fervidissimi amoris exempla ceteraque omnium temporum superasse dicitur. Hanc

interpretationem firmat imitatione sua Statius Sylv. I. II. 87. ubi unus e Cupidinibus amorem Stellae collaudans inducitur: *Vidi ego & immiti cupidum decurrere campo Hippomenem; nec sic meta pallebat in ipsa. Vidi & Abydeni juvenis certantia remis Brachia, laudavique manus, & saepe natanti Praelusi; minor ille calor, quo saeva tepebant Aequora: tu veteres, juvenis, transgressus amores.* Exquisitiori autem ratione noster (quod Passeratius jam vidit, licet in reliquis allucinetur,) amatoris partes diei tribuit. Nam quae per temporis aliquod spatium eveniunt, aut ab hominibus aguntur, ea eleganter hoc ipsum tempus facere dicitur; quod prosopopoeiae genus ab excellentissimis scriptoribus usurpatur. Pind. Pyth. IX. Ὠκεῖα δ' ἐπειγομένων ἤδη θεῶν πρᾶξις, ὁδοίτε βραχεῖαι, κεῖνο κεῖν' ἆμαρ διαίτασεν. *Illud illa dies peregit*, de Apolline, qui optatas nuptias cum Cyrene confecerat eadem die, qua Chiron de iis vaticinationem ipsi ediderat. Virg. Aen. XI. 687. *Advenit qui vestra dies muliebribus armis Verba redarguerit.* Tib. I. III. init. *Hunc cecinere diem Parcae, — Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes;* qui locus hinc pulcre collustratur neque correctorem desiderat. Cic. in Cat. IV. 9. *Cogitate, quantis laboribus fundatum imperium, quanta virtute stabilitam libertatem, quanta Deorum benignitate auctas exaggeratasque fortunas una nox paene delerit.* Cf. I. Phil. 2.

El.

El. XVI. 35—38.

Sed tu ſola mei, tu maxima cauſa doloris,
Victa meis nunquam, Janua, muneribus.
Te non ulla meae laeſit petulantia linguae,
Quae ſolet ingrato dicere turba joco.

Verſum 38. ita primus edidit Kuinoelius; verum duo ſunt praecipue, quae in hac lectione mihi displicent. Primum *ingrato joco* languida est repetitio praecedentis *petulantia linguae*: tum, quod is, qui hic loquens inducitur, negat ſe cum praetereuntium turba verbis jocularibus illuſiſſe januae propter pendentes corollas, aliaque excluſorum ſigna, hoc amatori excluſo, quem ſe profitetur, parum convenit, quippe cujus multo magis est irasci, & rixas ingerere, imo aliquando etiam fores frangere. Tib. I. I. 73. ſq. Sed ab hoc inſano more vulgarium amatorum hic ſe alienum eſſe, nec unquam, licet ſemper excluderetur, commiſiſſe aſſeverat, ut in puellae januam iratus maledicta conferret. Itaque nondum me poenitet conjecturae, qua locum corruptum emendare olim conabar. Nempe cum in plurimis codd. exaratum ſit: *Quae ſolet irato dicere tuta loco*, vid. Broukh., in excerptt. vero Scaligeri *iratus*, unde hic correxit: *Quae ſolet iratus dicere trita loca*; quod, licet a Broukhuſio laudatum ac receptum, tritis tamen aliorum auribus nequaquam

quam probavit;) denique in aliis libris appareat *multa* pro *tuta*; idcirco a vetere ſcriptura parum abire verſum putabam, ſi ita conſtitueretur: *Quae ſolet iratus dicere multa dolor.* In vocabb. *petulantia linguae* latet ſubſtantivum *verba*, *maledicta* aut ſimile, quo referatur pronomen *quae.* Idem fit I. XVIII. 24. ſq. & Terent. Andr. I. III. 5. *Quae multa* congruit cum Graecorum οἷαπερ πολλὰ, quod Virgil. quoque expreſſit Aen. IX. 210. *Sed ſiquis, (quae multa videt diſcrimine tali)* cet. Cf. Aen. VII. 201. Praeterea *multa* ſaepius de querelis amantium aſſiduis & variis, ex. gr. infra I. XV. 12, ſq. *Multos illa dies incomtis moeſta capillis Sederat, injusto multa locuta ſalo.* Ovid. A. A. III. 581, ſq. *Ante fores jaceat: crudelis janua, clamet: Multaque ſubmiſſe, multa minanter agat.* Tamen, quia in pluribus codd. pro *tuta* reperitur *tota*, poſſis hinc conjicere *nota*, ut intelligantur convicia ab excluſis amatoribus effundi ſolita ac vulgo nota. *Dolor iratus*, (eodem tropo, ut infra IV. IX. 62. *irata ſitis*,) i. e. in iram verſus, ira mixtus; Sil. I. 690. *Sed lacrymae atque ira mixtus dolor impulit.* Sen. Med. 139. *furioſus dolor*, & Oed. vſ. penult. *rabidus dolor.* Itaque egregie dixerit poëta *dolor iratus*, amans dolore & ira affectus, *dicere ſolet;* ſiquidem cum alia, tum praeſertim affectiones animi humani in perſonas mutare Propertii eſt, & omnino poëticum. I. I. 28 *Sit modo liber-*

libertas, quae velit ira loqui. I. XVIII. 13. *Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet; Non ita saeva tamen venerit ira mea.* II. IV. 4. *Et crepitum dubio suscitet ira pede.* III. XV. 12. *Nescit vestra ruens ira referre pedem.* Sen. Med. 139. *Melius, ah melius, dolor furiose, loquere.* ibid. 554. *Voce jam extrema peto, Ne siqua noster dubius effudit dolor, Maneant in animo verba.* Ceterum idem color orationis apud nostrum I. VI. 10. *Illa meam mihi se jam denegat; illa minatur, Quae solet ingrato tristis amica viro.* Cf. I. XVIII. 29. Ovid. Amor. II. V. 33. *Haec ego; quaeque dolor linguae dictavit.* Amplius haec eo exposui, quia memineram, Kuinoelio non arridere lect. *multa*, eumque dubitare, an *dolor iratus* recte dicatur. Quodsi idem loca a me allata, praesertim Prop. IV. IX. 72. (ubi *irata sitis* pro Hercule sitiente & irato, sicut *iratus dolor* pro amatore dolente & irato,) recto judicio comparaverit, non amplius dubitaturum eum, imo auctoris menti & genio inprimis hoc accommodatum judicaturum esse confido.

El. XVII. vs. 11—16.

Nullane placatae veniet fortuna procellae?
Haeccine parva meum funus arena teget?
Tu tamen in melius saevas converte querelas.
Sat tibi sit poenae nox & iniqua vada.

An

An poteris ſiccis mea fata reponere ocellis?
Oſſaque nulla tuo noſtra tenere ſinu?

Verum hujus diſtichi ſenſum non attigiſſe mihi videntur interpretes. Illos praetereo. Burmannus, Paſeratium aliosque ſecutus, *mea fata reponere*, interpretabatur, *meum cadaver tumulo* vel *toro mortuali collocare*. Quodſi vero totam elegiam paulo accuratius perlustremus, patebit, haec cum praeſenti poëtae conditione nequaquam conciliari poſſe. Verſatur ille in mari procellis agitato, morti propinquus, quod malum querelis & imprecationibus Cynthiae, quam relinquere non formidaverat, tribuit; itaque obſecrat abſentem puellam, tanquam ſi praeſens adeſſet, ut imprecationes in melius convertat, &, quo magis illius animum mitiget, mortis ſuae mentionem facit, quam aequo animo latturam eſſe non putat. Jam vero ſi Propertius procul a terra patria in mari interiiſſet, quo pacto illum tumulo vel toro mortali imponere poſſet Cynthia? Miror etiam Burmannum, postquam ita hexametrum expoſuerat, pentametro tamen hanc notam addere: „*oſſa nulla* „dicta videntur, quod Cynthiae nulla teneret oſſa „illius, qui in mari periret & in litore Epyri „humaretur". Haec enim prorſus inter ſe repugnant *tumulo* vel *lectulo collocare mortuum*, & *nulla ejus tenere oſſa*. Heinſium jam & Markiandum hoc vidiſſe credo, quippe quorum ille tenta-

vit

vix *ossaque adusta*, hic *ossa nulla* explicuit *in nihilum* vel *minimum redacta*. Sed hae turbae omnes ortae sunt ex non intellecto verbo *reponere*, quod hic dictum puto pro *retro ponere*, *seponere*, *ἀναπλίσσειν*; ita fere ut dicimus *reponere* & *seponere odium*, *dolorem*, cet. Sen Troad. 712. *Pone ex animo reges atavos, Magni senis jura per omnes Inclyta terras, excidat Hector.* Significatione *removendi* ac *seponendi* verbum quoque occurrit apud Virgil. Aen. V. 484. *cestus artemque repono.* Cf. ibid. III. 364. & Horat Epod. IX. I. Itaque *mea fata reponere* interpretor *interitum* meum non curare, *ἀπορρίπτειν*, *ἀμελεῖν*; hoc eadem in re usurpat Electra apud Soph. 237. *καὶ τί μέτρον κακότητος ἴσχω; φέρε, πῶς ἐπὶ τοῖς φθιμένοις ἀμελεῖν καλόν*; Vide, obsecro, ut sic omnia sint plana atque dilucida: *num tu*, inquit poëta, *mortem meam indefletam omittere secura poteris? num ossilegii mihi praestare officium non posse, aequo animo feres?* Quo magis locum ita capiendum esse mihi persuadeam, faciunt sequentia inde a vs. 16 ad 25. ubi videmus poenitere amatorem itineris, propterea quod si domi mansisset, supremumque diem exspectasset, ipsi puella sua exsequiarum justa solvisset, quem honorem nunc, procul ab ea fati faucibus injectus, sibi eventurum desperat. Vir doctus, qui hanc Propertii elegiam vertit in (*Nachträge zu Sulzers allgem. Theorie*,) Vol. III. Part. I. p. 24. quid

de

de verbo *reponere* faceret, item non invenisse videtur, reddens: *Sprich, könntest du mein Loos mit trocknen Augen hören?* Versio autem in Horis Schiller. Vol. V. Part. I. rationem Burmannianam servat: *Könntest du meine Leiche mit trockenen Augen bestatten?* Kuinoelius hoc sensu versum accipit: *num poteris naufragium meum ante oculos ponere, ita ut sicci maneant?* Quod vereor, ne sit nimis quaesitum. Etiamsi enim largiamur, *ponere oculis* dici pro *in oculis, ante oculos*, ἐν ὄμμασι θέσθαι (Pind. Nem. VIII. prope fin.), tamen quis dixerit *ponere aliquid ante oculos siccos?*

Ibid. vs. 25, 26.

At vos aequoreae formosa Doride natae,
Candida felici solvite vela choro.

Novo quodam figmento Nereidibus tribuit munus vela solvendi, quarum alias est, fluctus sedare, Hesiod. Theog. 252 sqq. & naves manu allevare atque inter scopulos salvas deducere, Apollon. Arg. IV. 930 sqq. Apollod. I. 9. 25. Virg. Aen. I. 144. sq. Possit inde aliquis suspicari, *solvite vela* hic stare pro *expedite, liberate navem* tempestate *deprensam* (verbum oppositum. Horat. II. Od. XVI. 2.) vel, *fluctus sedando facite, ut vela feliciter solvantur.* At simplicius & pulcrius id,

id, quod primum ſtatuebam, Nereides rogari, ut adſint propitiae, ipſaeque ſuis manibus vela, ob ingentem procellam contracta, ſolvant. Nove itidem nec minus pulcre infra IV. VI. 25. Nereus fingitur acies inſtruere navales in praelio Actiaco.

El. XVIII. vſ. 15, 16.

Ut tibi ſim merito ſemper furor; & tua flendo
Lumina dejectis turpia ſint lacrymis.

Dejectis lacrymis ita tuetur Broukhuſius, ut congruere illud ſtatuat cum locutionibus *jacere verba*, *jacere querelas*, & ſim. Burmannus autem longe praeſert Heinſii conjecturam *defectis*. At optime vulgata lectio defenditur auctoritate Graecorum, in quorum imitatione Propertium totum eſſe quis ignorat? Similiter nempe locutus erat Homerus pluribus locis, Od. Δ. 114. Δάκρυ δ' ἀπὸ βλεφάρων χαμάδις βάλε. Cf. ibid. 198. 223. P. 490. T. 362. & Euripid. Hippol. 1396. Ὁρᾷ κατ' ὄσσων δ' οὐ θέμις βαλεῖν δάκρυ. Cum *dejectis lacrymis* conveniunt *cadentes*, quas memorant noster I. XIX. 25. & Ovid. crebro. Nec abſimili ratione Virg. Aen. VI. 455. dixit *demittere lacrymas*. — Ceterum *flendo dejectis lacrymis* aut inter ſe conſtruenda ſunt, aut, ne alterutrum otioſum ſit, pro *flendo* legendum *flentis*, vel denique, quod ego praetulerim, agnoſcendus in his

est pleonasmus, qualis illa Ovidii Met. I. 682. *sedit Atlantiades & euntem multa loquendo Detinuit sermone diem.*

El. XIX. vs. 1, 2.

Non ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, manes,
Nec moror extremo debita fata rogo.

Versum alterum simplici hoc modo capiendum puto: *nec fatis moveor morte mihi destinatis*, i. e. *morte.* Aliquando *debita fata* nude posita mortem designant, ut Val. Flacc. V. 21. Noster autem addito *rogo extremo* rem ornavit non tantum, sed fatorum quoque notionem certius definivit. Denique copia poëtica eandem hanc sententiam, *mortem nunc non reformido*, utroque versu repetiit.

Ibid. vs. 17—20.

Quamvis te longae remorentur fata senectae,
Cara tamen lacrymis ossa futura tuis,
Quas si, vita, mea possim servire favilla,
Tum mihi non ullo mors sit amara loco.

Recte mihi videtur Burmannus ad vs. 18. ex aliis editt. revocare velle *tuis* pro *meis.* *Tuis* enim legendum esse totum carminis argumentum clamat. Ubique de sua tantum morte loquitur poëta, & cum

cum jam sibi persuasisset etiam post obitum se amore Cynthiae arsurum, hic jam addit, & Cynthiam, etiamsi summam senectutem attigisset, tamen pristini amoris memorem, ossa ipsius lacrymis prosecuturam esse. Eandem in se pietatem puellae tribuit II. X. 51. *Tu tamen amisso nonnunquam flebis amico. Fas est praeteritos semper amare viros.* Neque secus de Delia sua sperabat Tibullus I. I. 61. *Flebis & arsuro positum me, Delia, lecto, Tristibus & lacrymis oscula mixta dabis. Ossa* autem *cara lacrymis tuis*, i. e. tibi lacrymanti, ut III. I, 33. *Carmina cara legenti.* Cf. I. II. 31. Atque ita rem salvam esse arbitror, neque causam video, cur obscuritate hanc partem laborare existimaverit Burmannus.

Gravius mendum inhaeret vs. 19. *Quae tu viva mea possis sentire favilla.* Quae perplexa sunt neque a viris doctis satis feliciter restituta. Cum in vett. libris teste Passeratio legatur, *quod si in te me possim*, suspicatus sum haec ita corrigenda esse: *Quas* (n. *lacrymas tuas*) *si, vita, mea possim sentire favilla.* Sic enim aptissime omnia cohaerent, & sententia provenit poëta nostro dignissima, cui illustrandae inserviant Ovidiana illa Trist. III. III. 83. *Tu tamen exstincto feralia munera ferto, Deque tuis lacrymis humida serta dato. Quamvis in cinerem corpus mutaverit ignis, Sentiet officium moesta favilla pium.* Et Prop. II. XIII, 41. *Interea cave sis nos ad-*

ſpernata ſepultos; *Nonnihil ad verum conſcia terra ſapit.* Tum *poſſim ſentire* eo convenientius dixerit Propertius, quia verebatur, ne *iniquus Amor* (ſive eo iniqui Cynthiae propinqui ſive novi amatores ſignificentur,) invitam eam a tumulo ſuo abrepturus, & voluptate ex illius lacrymis percipienda ipſum privaturus eſſet. Vid. vſ. 21. ſqq. Ceterum eadem verborum ſtructura, *ſi* ſequente *tum*, occurrit II. XIII. 15.

Hanc vero conjecturam meam postquam cum Waſſenbergio, viro multis de cauſis mihi veneranda, communicaveram, vicisſim ille, quid ſibi de hoc loco reſtituendo videretur, pro humanitate ſua libenter mihi indicavit. Corrigebat nempe: *Hac tu, vita, meam poſſis lenire favillam.* „Cui rationi," inquit, „primum favent excerpta Modii *meam favillam* offerentia, deinde eorundem verborum *ſentire* & *lenire* facta permutatio I. v. 3. vid. Schraderi Emendat. p. 183, ſq. tandem ſuavis oppoſitio in ſeq. pentametro, *Tum mihi non ullo mors ſit amara loco.*"

Haec cum olim de hoc loco commentatus eſſem, correctionem deinde meam Kuinoelio ſic vidi probari, ut in textum reciperet. Hujus autem cenſor in Ephemeridd. literariis Hallens. A. CIↃIↃCCCV. num. 268. iniquo id animo tulit, Broukhuſiique retinet lectionem & explicationem: *Quamvis te longae remorentur fata ſenec-*

nectae, Cara tamen lacrymis ossa futura meis. Quae tu, vita, mea possis sentire favilla, Tum mihi cet. Quae Broukhusius ita intelligebat: *Quamvis te longa senectus maneat, Cynthia, tamen mortem tuam apud inferos deflebo. Quae* (nempe eum unico amore Cynthiae etiam post obitum suum esse flagraturum, uti superioribus versibus declaraverat,) *utinam ex favilla mea sentire possis!* Sed in his primum hoc singulare est, umbram amatoris lacrymari propter mortem amicae, quam non modo non amittat, sed ipsa morte recepturus sit. Tum sensus, qui versui 19. tribuitur, contortus, neque ad sequentem pentametrum satis appositus; cum quo, ut & cum universo elegiae argumento, magis consentaneum est, optare poëtam, ut vita functus amorem Cynthiae constantem, de quo adeo erat sollicitus, conspersa illius lacrymis favilla, sentiret atque cognosceret: qua sola spe & conditione mortem sibi non terrori esse affirmaverat.

Lib. II. El. I. vs. 35.

Te mea Musa illis semper contexeret armis.

Insertum intexeret conjicit Burmannus, cui *semper*, tanquam inutile, suspectum erat. Causam non perspicio. *Semper* respicit ad bella varia ab Octaviano gesta, quae poëta, uti modo dixerat,

rat, singulatim diversis temporibus canenda fuemeret, & in quibus omnibus Maecenatis quoque nomen ornaret, si haec ei facultas data esset.

El. II. vs. 3, 4.

Cur haec in terris facies humana moratur?
Jupiter, ignoro pristina furta tua.

Facies humana non consentit cum reliquis, quia poëta divinam formae dignitatem Cynthiae cupit asserere, quamobrem & El. III. 27. dicit: *Non, non humani sunt partus talia dona.* Itaque oppositionem esse volebat Burmannus, conjiciens *facies divina*, quod in Codice Ant. Perreji quoque invenitur. Sed verba si aliter construas, verum assequaris: *cur*, inquit, *haec facies moratur, curat, humana, res humanas, amores hominum?* ita sequentis El. vs. 31. *Nec semper nobiscum humana cubilia vises.* Uti ex hoc Propertii loco non intellecto nata est lectio *divina*, sic Cic. Orat. pro Mil. Cap. 3. *non solum divina, sed etiam sapientissimae Deae sententia liberatum*, eodem modo, cum non bene ista caperentur, orta est lectio *humana*.

Vs. 4. *Ignoro* recte defenditur ab Huschkio Anal. crit. p. 153. ubi fragmentum Graecum ad hanc sententiam accommodat. Similiter autem

Virg

Virg. Aen. V. 848. *Mene salis placidi vultum fluctusque quietos Ignorare jubes?*

El. III. vf. 25, 26.

Haec tibi contulerunt coelestia munera Divi,
Haec tibi: ne matrem forte dedisse putes.

Repetita vocabula *Haec tibi*, quoquo modo interpungas, valde languent, utpote in quibus nulla est emphasis; quod eo minus ferendum, quia amator, Cynthiae variis cum formae tum ingenii bonis modo memoratis, admiratione affectus commotusque loquitur. Emphasis autem est in *Divi*, id quod magis etiam ex opposito *matrem* elucet. Unde factum, ut non ita scripsisse Propertium suspicarer, uti nunc legimus, sed exterminandum ex pentametro *haec*, velut e praecedente versu perperam repetitum, & *tibi* in *Divi* mutandum. Propter cognationem literarum *t* & *d*, itemque *b* & *v*, facile haec vocabula confundi potuerunt, quemadmodum ex. gr. Virg. Aen. IV. 498. ex pronunciatione orta est confusio verborum *juvat* & *jubet*, & sic passim in Veterum scriptis. Cf. Drakenborch. ad Liv. Vol. II. p. 417. Forsitan igitur legendum:

Haec tibi contulerunt coelestia munera Divi,
Divi, ne matrem forte dedisse putes.

Quae epizeuxis quam accommodata sit commoto

rat, singulatim diversis temporibus cuneda sua meret, & in quibus omnibus Maecenatis quoque nomen ornaret, si haec ei facultas data esset.

El. II. vs. 3, 4.

Cur haec in terris facies humana moratur?
Jupiter, ignoro pristina furta tua.

Facies humana non consentit cum reliquis, quia poëta divinam formae dignitatem Cynthiae cupit asserere, quamobrem & El. III. 27. dixit: *Non, non humani sunt partus talia dona.* Itaque oppositionem esse volebat Burmannus, conjiciens *facies divina*, quod in Codice Ant. Perreji quoque invenitur. Sed verba si aliter construas, verum assequaris: *cur*, inquit, *haec facies moratur in terris, cum humana, ut humanos, amores hominum?* ita sequentis El. vs. 31. *Nec semper nobiscum humana cubilia vises.* Uti ex hoc Propertii loco non intellecto nata est lectio *divina*, sic Cic. Orat. pro Mil. Cap. 3. *non solum divina, sed etiam sapientissimae Deae sententia liberatum*, eodem modo, cum non bene ista caperentur, orta est lectio *humana*.

Vs. 4. *Ignoro* recte defenditur ab Huschkio Anal. crit. p. 153. ubi fragmentum Graecum ad hanc sententiam accommodat. Similiter autem

Virg

Virg. Aen. V. 848. *Mene salis placidi vultum fluctusque quietos Ignorare jubes?*

El. III. vs. 25, 26.

Haec tibi contulerunt coelestia munera Divi,
Haec tibi: ne matrem forte dedisse putes.

Repetita vocabula *Haec tibi*, quoquo modo interpungas, valde languent, utpote in quibus nulla est emphasis; quod eo minus ferendum, quia amator, Cynthiae variis cum formae tum ingenii bonis modo memoratis, admiratione affectus commotusque loquitur. Emphasis autem est in *Divi*, id quod magis etiam ex opposito *matrem* elucet. Unde factum, ut non ita scripsisse Propertium suspicarer, uti nunc legimus, sed exterminandum ex pentametro *haec*, velut e praecedente versu perperam repetitum, & *tibi* in *Divi* mutandum. Propter cognationem literarum *t* & *d*, itemque *b* & *v*, facile haec vocabula confundi potuerunt, quemadmodum ex. gr. Virg. Aen. IV. 498. ex pronunciatione orta est confusio verborum *juvat* & *jubet*, & sic passim in Veterum scriptis. Cf. Drakenborch. ad Liv. Vol. II. p. 417. Fortasse igitur legendum:

Haec tibi contulerunt coelestia munera Divi,
Divi, ne matrem forte dedisse putes.

Quae epizeuxis quam accommodata sit commoto

poëtae animo, neminem non intellecturum esse arbitror. Ita *Deus* & *Dii* non raro a poëtis cum vi repetuntur, ut Hor. V. XIX. 6 *Deus, Deus nam me vetat.* Virg. Aen. II. 602. *Divom inclementia, Divom, Has evertit opes.* Cf. id. ecl. V. 64.

Praeterea observent tirones poëticae facultatis, Propertium, quum formam virtutesque egregias Deorum munere accepisse Cynthiam refert, hoc illum facere ad exemplum antiqui sermonis, quo, quidquid homines habebant eximii, a Diis datum esse praedicabatur. Sic Hom. Od. Z. 18. ἀμφίπολοι Χαρίτων ἄπο κάλλος ἔχουσαι. Hymn. in Ven. 77. Ἀγχίσην ἥρωα θεῶν ἄπο κάλλος ἔχοντα. & passim. Cf. Pind. Pyth. I. 78.

El. VI. vs. 9, 10.

Me juvenum facies pictae, me numina laedunt,
Me tener in cunis, & sine voce puer.

Kuinoelius conjicit *Me tener in ulnis*, cujus licentiae nullum novi exemplum. Sed in re metrica non semel lapsum esse Kuinoelium animadverti. I. XIX. 19. conjecisse se dicit, *Quas si viva mea possit sentire favilla*, & *mea* frustra excusat ancipiti mensura syllabae primae voc. *eous*. III. XXII. 15. edidit *Et si qua Gygaei visenda est ora Caystri*, eademque lectio repetitur in Observationibus.

Ei.

El. IX. vſ. 3—8.

Penelope poterat bis denos ſola per annos
Vivere, tam multis femina digna procis, cet.
Viſura & quamvis nunquam ſperaret Ulyxen,
Illum exſpectando facta remanſit anus.

Remanſit nude poſitum non placet. Praedicatum aliquod requiritur, quale in his Ovidianis legimus Her. V. 133. *At manet Oenone fallenti casta marito* & Amor. III. IV. 23. *Penelope manſit, quamvis custode carebat, Inter tot juvenes intemerata procos*; item apud Tibull. I. III. 83. de abſente Delia, *At tu casta, precor, maneas.* Itaque legerim, *Illum exſpectando casta remanſit anus*; ut *anus* ſit appoſitio, i. e. tandem anus facta, ſ. ad anilem usque aetatem. Idem jam ſuboluit J. Grutero, qui conjecerat *ſancta remanſit anus*, quemque Burmannus non bene refellit loco Ovid. Her. I. fin. *Certe ego, quae fueram te discedente puella, Protinus, ut redeas, facta videbor anus.* Hic enim diverſus est verborum & ſenſus & ſtructura.

Haec olim ſcripta dum recognoſco, non improbo quidem, neque tamen repugno, ſi vulgatam lectionem ſervare malis. Tum vero intelligendum hoc ita est, *remanſit in aedibus abſente Ulyſſe*, ſicut Hom. Od. Ω. 395. Μίμνομεν ἐν μεγάροις, ὑμέας ποτιδέγμενοι αἰεί.

Ibid. vſ. 39.

Figite certantes, atque hanc mihi ſolvite vitam.

Heinſius ex cod. Scaligeri legebat *ſolvite curam.* Burmannus autem *vitam* praeferebat, cui eo libentius accedo, quod ex Graecis deſumta est locutio. Hom. Θ. 123. τοῦ δ' αὖθι λύθη ψυχή τε μένος τε, quae repetuntur ibid. vs. 315. Imo notiſſimae fabellae Aeſopiae hoc initium eſt: Γεωργός τις μέλλων καταλύειν τὸν βίον. Inde mors vocatur λύσις, ἀπόλυσις & διάλυσις, vid. Huschkius Anal. crit. p. 221. Uti autem *vita* pro anima ponitur, ſic αἰὼν pro ψυχῇ; Heſychius: Εὐριπίδης Φιλοκτήτῃ, Αἰῶνα τὴν ψυχὴν λέγει. ἀνέπνευσεν αἰῶνα. Neque aliter Virg. Aen. XI. 617. *vitam diſpergit in auras.*

El. X. vſ. 21—24.

Ut caput in magnis ubi non est tangere ſignis,
Ponitur hic imos ante corona pedes:
Sic nos, nunc inopes laudis conſcendere carmen;
Pauperibus ſacris vilia thura damus.

Verſus 23 varie a multis tentatus; in his Oudendorpius reſtituendum putabat, *tauris conſcindere*

dere collum, quod Burmanno vehementer placebat. Sed vide, ne ita auctis metaphoris vis omnis ac venustas comparationis labefactetur. Exprimere enim voluit poeta sublimitatem carminis epici, quo celebrare quidem cupiebat Augustum, sed quo se attollere non posse nunc profitetur, aeque ut caput ingentis statuae siquis coronare cupit, non potest attingere prae altitudine. Quamobrem *conscendere* sanum esse non dubito. Marklandus vero conjecit *conscendere currum*, non ita, credo, ut currum pro navi scriptum vellet, quemadmodum Astius accipit, Observatt. in Pind. Olymp., quasvide in Comment. Soc. philol. Lips. Beckii Vol. II. part. 1. pag. 11, sed fortasse, quia Pindaricam respiciebat orationem Olymp. IX. 120. εἴην εὑρεσιεπὴς, ἀναγεῖσθαι πρόσφορος ἐν Μοισᾶν δίφρῳ. & Isthm. II. init. Οἱ μὲν πάλαι ὦ Θρασύβουλε, φῶτες, οἱ χρυσαμπύκων ἐς δίφρον Μοισᾶν ἔβαινον. Tamen haud rejecerim lectionem vulgatam, quippe quae neque a sensu sequentis pentametri nimis abeat, & similibus locutionibus cum Latinis tum Graecis se tueatur. Petron. Cap. 118. *Ceteri aut non viderunt viam, qua iretur ad carmen, aut visam timuerunt calcare.* Cap. 1. *ire ad eloquentiam.* Suet. de illustr. Grammat. 11. *tendere ad poëticam.* Convenit graecum ἐπιβαίνειν, Hom. Hymn. in Merc. 464. αὐτὰρ ἐγώ σοι Τέχνης ἡμετέρης ἐπιβήμεναι. οὔτι μεγαίρω. Cf. Odyss. X. 424. atque ibi Clark. De ipso etiam car-

carmine frequens est οἶμος, [Hom. Hymn. in Merc. 431. ἀγλαὸς οἶμος ἀοιδῆς. Pind. Olymp. IX. 71. ἐπέων οἶμος. Callim. in Jov. 78. λύρης οἶμοι. Philetas apud Stob. Floril. LXXIX. p. 422. (ed. Conr. Gesn.) μύθων παντοίων οἶμος. Similiter οἶμη aliquoties ab Homero absolute ponitur; neque aliter τρίβος videtur intelligendum Hom. Hymn. in Merc. 448. Ὁδὸς occurrit apud Aesch. Agam. 1165. Sed fortasse omnium optime cum Propertianis consentit phrasis πρὸς s. εἰς ἄκρον ἔρχεσθαι, ἰέναι. Pind. Nem. VI. 38. οἱ τρεῖς ἀεθλοφόροι πρὸς ἄκρον ἀρετᾶς ἦλθον. Alexandri Aetoli fragm. apud Athenaeum Lib. XV. p. 699. C. Μιμνέρμου δ' εἷς ἕπος ἄκρον ἰὼν, quo loco jam Huschkius usus est ad defendendum Propertii dictum Analect. p. 159. Itaque, hoc si requimur, *conscendere carmen laudis* idem est, ac pervenire, adscendere ad summam carminis epici dignitatem; nam *carmen laudis* satis nota dicendi ratione illud dicitur, quo virtutes alicujus digna laude condecorantur, atque adeo carmen, grande aliquid & magnificum sonans. Patet autem poëtam eo magis adhibuisse hanc imaginem conscendendi, ut rem ipsam accommodaret ad comparationem, & hanc in clariore luce collocaret.

El. XII. vs. 1—8.

Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,

Non-

Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit sine sensu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum.
Scilicet alterna quoniam jactamur in unda,
Nostraque non ullis permanet aura locis.

Sensum vs. 6. non assecuti mihi videntur interpretes, quorum alii, volantem in corde humano Deum cogitarunt, alii, cor pro solertia capientes, Cupidinem solerter alis instructum dici putarunt. Nodellius hunc sensum ut juvaret, Not. crit. cap. II. p. 68. legebat *haud vano corde.* Quo admisso vereor, ne ταυτολόγον faciamus poëtam, eadem enim esset & hujus & praecedentis versus sententia; periret quoque ventosa oppositio *humano — Deum.* Praestaret ergo Heinsiana lectio *humana sorte.* Sed vulgatam bene se habere existimo: *humano corde* interpretor, corde inconstanti, quale cor humanum esse solet. Id enim significare vult Propertius, alas, Cupidini picto additas, solitae, quae in amore mortalium est, inconstantiae levitatisque esse imaginem, quandoquidem ille, ut habet Moschus I. 16. πτερόεις, ὡς ὄρνις, ἐφίπταται ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλους, Ἀνέρας ἠδὲ γυναῖκας. Hanc notionem hic voc. *humano* tribuendam esse, cum ipsa illa oppositio, quam modo laudabam, tum sequens distichon monet.

His

His dudum ſcriptis vidi, Huſchkium Analect. p. 40. ſqq. ad eandem fere ſententiam Propertiana docte exponere & referre ad mythum Platonicum de parentibus Amoris duplicique ejusdem natura, humana & divina.

El. XIII. vſ. 39, 40.

Tu quoque, ſiquando venies ad fata, (memento Hoc iter!) ad lapides, cara, veni memores.

Antiquam lectionem revocavit Kuinoelius, niſi quod cum Heinſio & Burmanno poſuit *cara* pro *cana*, atque interpunctionem mutavit. Scaliger emendaverat *memento Hoc itere ad lapides cana venire meos*, quod amplexus eſt & edidit Broukhuſius. Heinſius tentabat: *memento Hoc iter* (vel *huc ferri*) *ac lapides, cara, ſubire meos.* Burmannus autem neque ſic locum perſanatum credens, conjiciebat: *memento Molliter ad lapides, cara, redire meos; ad fata* interpretabatur *ad ſepulcra mea*, quod, admiſſa ipſius conjectura, ſenſum praebet valde languidum. Suſpicor equidem in voce *itar* aliud quid latere, quod ad ſuperiora concinnius reſpondeat, atque adeo vix dubito, quin facta immutatione perparva legendum ſit: *memento Hoc ritu ad lapides, cara, venire meos.* Inſpectis iis, quae praeceſſerunt a vs. 17, facile quisque videbit, quam claram inde lucem con-

conſequatur locus obſcurus. Nimirum is erit ſenſus: *Siquando, Cynthia, ad fatalem vitae exitum perveneris, tu quoque eadem hoc funeris ritu, quem ego mihi ſimpliciſſimum modo expetebam, tumulo meo accedas.* Hunc ſenſum ſuadet etiam particula *quoque*. Ceterum haud facile invenies quidquam ad amoris ſignificationem ſuavius ac venuſtius, aut cujus amatores, ubi mortis incidit cogitatio, lubentius meminerint; ita ut optent, eadem omnia ſibi ſuisque puellis eveniant, cum in vita, tum in morte, ac proinde ſepulturam tumulumque adipiſcantur communem. Idem optare cognatorum quoque eſt & amicorum; vid. Virg. Aen. X. 9. Ovid. Her. XI. 123. Cic. Orat. p. red. ad Quir. Cap. 3. Inprimis congruit pulcerrimum epigramma Mart. Lib. I. 89. *Alcime, quem raptum domino creſcentibus annis Labicana levi cespite velat humus: Accipe non Pharia nutantia pondera ſaxo, Quae cineri vanus dat ruitura labor: Sed fragiles buxos & opacas palmitis umbras, Quaeque virent lacrymis humida prata meis. Accipe, care puer, noſtri monumenta doloris, Hic tibi perpetuo tempore vivit honor. Cum mihi ſupremos Lacheſis perneverit annos: Non aliter cineres mando jacere meos.* Exemplum hujus generis ex Amynta Taſſi act. 4. ſc. 3. profert Homius (Elem. of critic. part. 7. chap. 8.) Eundem vero humanitatis ſenſum jam ex ipſa natura expreſſerat poëtarum parens Il. Ψ. 83.

83. ubi Patrocli umbra Achillem monet: Μὴ ἐμὰ σῶν ἀπάνευθε τιθήμεναι ὀστέ', Ἀχιλλεῦ. Αλλ' ὁμοῦ ὡς ἐτράφημεν ἐν ὑμετέροισι δόμοισιν. — Ὡς δὲ καὶ ὀστία νῶϊν ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύπτοι, Χρύσεος ἀμφιφορεὺς. huc etiam referendi vs. 126, 244 & Od. Ω. 76, 77.

Antiquam lectionem defendit Huschkius Analect. crit. p. 128; ſed iſta, *memento Hoc iter*, non expedit. Quodſi ſervanda eſt ea lectio, hoc modo verba interpreter: *Siquando mors tibi ſubeunda eſt, memento huc ire, n. ad meum ſepulcrum, ut uno eodemque tumulo tegamur.* Quam ſententiam poëta mox illuſtrat, addens: *ad lapides veni memores*, i. e. lapides, qui ſepulcrum meum indicent, me ſepultum arguant. Dictio autem *venire ad lapides* graeco fonte derivata eſt. Pind. Nem. VII. 27. θανάτου παρὰ σᾶμα νίεσθαι, & Callim. Hymn. in Dian. vs. 130. ἐπὶ σῆμα ἔρχεσθαι. Quae loca & Huschkius comparavit.

Ibid. vſ. 51—56.

Tu tamen amiſſo nonnunquam flebis amico:
Fas eſt praeteritos ſemper amare viros,
Teſtis, quem niveum quondam percuſſit, Adonis,
Venantem Idallo vertice durus aper.
Illic formoſum flevisſe paludibus, illuc
Diceris effuſa tu, Venus, iſſe coma.

Verſ.

Vers. 53. ita correctum a Marklando, (in codd. est *Adonin*,) temere recepit Kuinoelius: neque enim hic Adonidis, sed ipsius Veneris testimonium requiritur, uti recte viderunt Burmannus & Huschkius. Ille autem emendans, *Testis, quum niveum quondam percusſit Adonin, Venantem Idalio vertice dirus aper, Illis formoſum planxisſe paludibus*, — testem fecit aprum, id quod aeque ac Marklandus evitare cupiebat. Quapropter Huschkius Ep. crit. p. 51, 52. corrigit: *Testis, cui niveum quondam percusſit Adonin, — aper.* Facere non possum, quin &, quid ego tentaverim, proponam. Suspicabar, poëtam nexa utriusque distichi structura scripsisse

Testis, quae, niveum quando percusſit Adonin,
Venantem Idalio vertice, durus aper,
Illic formoſum flevisſe paludibus, illic
Diceris effuſa tum, Venus, isse coma.

Tum pro *tu*, quod languere videbatur, Burmannus jam reposuerat.

El. XVI. vs. 40, 41.

Hunc infamis amor verſis dare terga carinis
Juſſit, & extremo quaerere in orbe fugam.

Extremo male in quibusdam codd. cum *externo* mutatur. De Aegypto aliisque regionibus remotissimis ita loqui solebant antiqui. Aesch. Prom. 852. Ἔστιν πόλις Κάνωβος, ἐσχάτη χθονὸς. ubi cf. Stanlejus. Latinorum auctorum exempla dedere Passeratius, Broukhusius, Burmannus.

El. XVII. vs. 3, 4.

Horum ego sum vates, quoties desertus amarae
Explevi noctes, fractus utroque toro.

Utroque toro est utraque lecti sponda, quarum interiore parietem versus mulier, exteriore autem vir cubare solebat. Ergo queritur poëta se in vacuo lecto solum versare membra, ut modo in hanc, modo in illam tori partem se vertat. De lecti constructione & consuetudine cubandi veteribus usitata optime egit Salmasius ad Spartiani Verum Cap. 5. Ubi tamen versum *Cur pressus prior est interiorque torus?* memoria lapsus perperam Tibullo tribuit, cum sit Ovidii Am. III. XIV. 32.

Fractus i. e. insomniis & crebra corporis jactatione defatigatus. Horatius, de duriore tamen cubili, Epod. XI. 22. *Limina dura, quibus lumbos & infregi latus.* Itaque impatientius amator se ferre secubitum significat, de quo alias usurpant *medio jacere toro.* Ovid. Am. II. X. 17. *Hostibus eveniat viduo dormire cubili, Et medio laxe*

laxe ponere membra toro. cf. Her. XIX. 158. & Am. I. V. 2. Quamobrem nulla causa est, cur Ayrmanni conjecturam *dolo*, aut Heinsii *jactus* admittamus.

El. XVIII. vs. 1.

Assiduae multis odium peperere querelae,
Frangitur in tacito femina saepe viro.
Siquid vidisti, semper vidisse negato:
Aut siquid doluit forte, dolere nega.
Quid mea si canis aetas candesceret omnis?
Et faceret scissas languida ruga genas?
Ah non Tithoni spernens Aurora senectam, —

Diversae sunt horum versuum explicationes, inde ortae, quod difficilior videbatur esse a. vs. 4. ad sequentia transitus. Verum illa difficultas evanesceret, si statuamus quatuor versibus prioribus contineri consilium praecipientis, qui moneat, amatorem, ut puellae suae perfidiam ac furta patienter ferat, quandoquidem ita citius ad fidem sit reditura, quam si assiduis exprobrationibus ac rixis agitetur; ad quae poëta vs. 6 & 7. respondeat, id leve fore & ferendum, si senex jam esset; quam vel Aurora Tithoni senectam non spreverit; se vero (vs. 19.) juvenem etiam contemni. Ita singulae partes uno quasi filo satis apte nectuntur. Videlicet formula *quid si* successum indicet utrio-

rem, eumque uel meliorem, ut Horat. III. od. IX. 17. *Quid si prisca redit Venus?* & Ovid. Met. I. 498. *Spectat inornatos collo pendere capillos, Et, quid si comantur, ait.* vel pejorem, ut Prop. I. IX. 15. *I, quaeso, & tristes istos compone libellos: Et cane, quod quaevis posse puella velit. Quid si non esset facilis tibi copia?* Saepe increpat, idque comparatione facta, modo majoris culpae, ut hujus libri El. XXXIV. 11. *Quid si non constans illa & tam certa fuisset?* modo levioris, ut Just. L. II. 12. *Quid si non haec & Dario prius & nunc Xerxi belli causa nobiscum foret, quod vos rebellantes non destituimus?* i. e. minus culpandi essetis, si cet. Ad postremum hunc usum loquendi praeter locum, de quo nunc agimus, etiam refero h. lib. El. IX. 29. *Quid si longinquos retineret miles ad Indos? Aut mea si staret navis in Oceano? Sed vobis facile est verba & componere fraudes.* Quae verba, ab aliis aliter exposita, sic intelligo: *minus culpae haberet perfidia tua, si te relicta ad Indos militatum abiissem ibique lucri faciendi causa morarer*, cet. *sed facile tibi est fraudes componere falsasque violatae fidei causas praetendere.*

El. XIX. vs. 17—20.

Ipse ego venabor, jam nunc me sacra Dianae

Sus-

Suscipere, & Veneri ponere vota juvat.
Incipiam captare feras, & reddere pennis
Cornua, & audaces ipse monere canes.

Veneris mentio ab hoc loco aliena est: etenim si Propertium dicere intelligas, se Veneri sacra facere velle, tanquam si hoc nunc primum inciperet, id sane ineptum foret; sin contra cum Passeratio cogites, eum Veneris sacra relicturum, non minus hoc ἀπροσδιόνυσον, quoniam amoris causa, cum in rure versaretur Cynthia, venator fieri volebat. Scribamus, quaeso, *& nemori ponere vota juvat.* Venatores nempe in nemore, ubi fera capta erat, partem ejus ex voto suspensam Dianae dicare solebant, quod notum ex Spanhemii nota ad Callim. in Dian. vs. 105. & Cerdae ad Virg. Ecl. VII. 30. Librarios autem pasim nomina propria posuisse pro appellativis ostendit Schraderus Emendat. Cap. VIII. p. 158. Verba sic emendata, in quibus *ponere* proprium est dedicantium (cf. ex gr. h. lib. El. XIV. 27. Tib. I. I. 16.) lucem praebebunt sequentibus *reddere pinu Cornua*, quam lectionem pravo consilio deturbavit Kuinoelius, reponens *pennis cornua.* Hoc enim male junctis de eadem re metaphoris diversissimis, obscurum, & merito reprehensum a censore in Ephem. liter. Hallensibus a. CIↃIↃCCCV. p. 67. Cornua sunt ferarum, quas captare volebat, eaque *vota*, nominatim nunc expressa, ex arbore suspensurus

erat Deae venatrici, *nemorum virgini* (Horat.) & *reginae* (Sen. Trag.): nam capita & pedes praecipue dedicabantur. Vid. Spanhem. & Cerda locis modo exhibitis. Scholium Aristoph. Plut. 944. paucis totam rem declarat: Ἔθος ἦν τοῖς θηρεύουσι τινὰ ἄγρευν, μέρος τι τοῦ θηρευμένου, κεφαλὴν ἢ πόδα προσηλοῦν πρασσάλῳ ἐπί τινος δένδρου εἰς αὐτὴν τὴν ὕλην πρὸς τιμὴν τῆς Ἀρτέμιδος. Inde solers ille veterum imitator Petr. Lotichius Sec. Ecl. II, 93. *Ille ferox si pendet aper mihi sanguine poenas, Hic Triviae celsa reddam capita horrida pinu.* Cui Propertii locum obversatum fuisse, statim sentias, quique adeo imitatione sua lectionem antiquam *reddere pinu Cornua* & firmat & explicat.

Ibid. vs. 29 — 32.

Sic me nec silvae poterunt avertere sylvae,
Nec vaga muscosis flumina fusa jugis:
Quin ego in assidua mutem tua nomina lingua,
Absenti nemo ne nocuisse velit.

Locum, ut obscurum ac desperatum reliquit Marklandus, Broukhusius silentio praetermisit, Passeratius perperam exposuit; alii vero corrigere conati sunt, in his Palmerius scribendo *musem tua nomina*, Ayrmannus *Quin ego consueta cantem — sic nocuisse velit*, Burmannus *Quin ego in-*

inadsueta vitem —. Suadebam olim, *ego in* mutaretur in *equidem*, & in versu minori legeretur *nemo non*; sed utrumque, ut nunc mihi videtur, non necessarium, siquidem praepositio *in* a Propertio pluries ablativis casibus additur ex abundanti, ut h. lib. El. XXII. 44. *Quid juvat in nullo pondere verba loqui?* cf. ibi Heinsius & Burmannus; & El. XXIX. 40. Similiter Graeci ablativis instrumenti & aliis quibuscunque adjiciunt praep. ἐν, Lucian. Dial. Mort. XXIII. fin. καθικόμενον ἐν τῇ ῥάβδῳ, quam λέξιν pluribus exemplis adstruit Hemsterhusius; Bianor Anthol. Lib. I. Tit. XXXIII. ep. XV. ἐν ποσὶ λὰξ πατέοντα. quem locum praeter alia citat Munckerus ad Hygin. Tab. XX. Porro negatio duplex interdum ponitur pro simplici, velut Cic. Orat. in Verr. Act. II. L. II. 24. *Debebat Epicrates nullam numam nemini.* cf. Plaut. Mil. Glor. Act. V. 18. Negatio sequente duplici *non* vel *nec* frequentior est & occurrit etiam hujus El. vs. 5, 6. Ceterum in his versibus hunc sensum satis commodum deprehendere mihi videor: *Interea flumina sylvarumque solitudo non adeo de te securum me reddunt, quin ego, quoties de te loquar, assidue & sedulo nomen tuum cum alio commutem, non tuo vero utar nomine, sed alio ficto, nequis juvenum, si nomen tuum teque solam rusticari sciverit, te corrumpere tuaeque absentis fidei nocere cupiat.*

Notissimum est, amatores de amoribus suis lo-

quentes, ut invidiam declinarent, vera amicarum nomina mutare fictis consuevisse, de qua re vid. Broukhus. ad Tibull. IV. III. 11. & Burmann. ad Lotich. L. III. El. III. init. Eandem ob causam Paris praesente Menelao nomen suum similiter occultabat, Ovid. Her. XVI. 241. *Ah! quoties juvenum narravi patus amores, Ad vultus referens singula verba tuos! Indiciumque mei ficto sub nomine feci. Ille ego, si nescis, verus amator eram.*

El. XX. vs. 18.

Ambos una fides auferet, una dies.

Unanimes auferet malebat Guyetus; perperam. Sic versiculi perit vis ac Venus. *Una fides nos auferet*, praegnans est locutio hujus sententiae: *una eademque amborum fides incorrupta permanebit ad mortem usque, quam* (*una dies* auferet) *una die nos ablaturam esse spero.* Videlicet persona vel res, ad certum temporis finem permanens, ipsa tandem finem illum adducere fingitur. Virg. Ecl. IX. 52. *longos Cantando puerum memini me condere soles*, i. e. cantando dies peragere, donec sol conderetur. cf. Horat. IV. od. V. 29. & Claudian. LII. 13.

El.

El. XXII. vſ. 17, 18.

Unicuique dedit vitium natura creato.
Mi natura aliquid ſemper amare dedit.

Melius fortaſſe ſcribatur *Unum cuique*; nam primum *unusquisque* vocabulum eſt minus poëticum, & a Propertio quidem extra hunc locum ſemel modo poſitum; tum id dicit poëta, homines ſuo quemqve vitio, i. e. uni alicui praecipuo deditos eſſe, ut & Catull. XXII. 20. *ſuus quoique attributus est error.* Praeterea *creato* male a quibusdam exponi aut mutari mihi videtur. Interpretor igitur: *Natura cuique homini, postquam eum creavit, unum aliquod vitium praecipuum ſolet addere.*

Ibid. vſ. 25.

Jupiter Alcmenae geminas requieverat arctus.

Alcmenae est dativus, quem vocant, commodi, neque opus est ellipſi nominis *cauſa* vel *gratia*, quo Kuinoelius, *Alcmenae* genitivo caſu accipiens, neſcio quam ob cauſam decurrit. *Jupiter*, inquit auctor, *ut cum Alcmena concubaret, quietam noctem duplicavit, binas noctes tranquillas continuavit.*

El. XXIII. vſ. 13, 14.

Contra rejecto quae libera vadit amictu;
Cuſtodum & nullo ſepta tumore, placet.

Cuſtodum *tumor*, quod tueri conatus est Gebhardus, & e recentioribus probarunt Barthius & Kuinoelius, num recte dicatur pompa ſplendida, valde dubito. Nota metaphora *tumor* est vel animi, vel orationis. Neque vero dictionis inſolentiam defendunt Heliodori verba, a Gebhardo citata, σωματοφυλάκων πομπεῖα ὑπέρογκος. Praeterea amanti cuſtodum non tam officiebat oſtentatio, quam *timor*, quae lectio est in omnibus libb. & a Burmanno recte praefertur. Nempe *cuſtodum*, quod objective hic ponitur, *nullo ſepta timore*, i. e. nullis, quos timeat, cuſtodibus circumdata. Favent praecipue Lib. III. El. XII. 17. *Quid faciet nullo munita puella timore — ?* & El. XIV. 23. *Nec timor, aut ulla est clauſae tutela puellae.*

El. XXIV. vſ. 49 — 52.

Noli nobilibus, noli conferre beatis;
Vix venit, extremo qui legat oſſa die.
Ut tibi nos erimus: ſed tu potius, precor, ut me
Demiſſis plangas pectore nuda comis.

Ver-

Verſum 49, quem varie plures tentarunt, nequaquam ſollicitandum eſſe recte quidem exiſtimavit Burmannus; at minus recte verſum 50. interpretatus est, hunc ſenſum loco tribuens: „Noli me componere divitibus, quorum nemo oſſilegii officium mihi mortuo faciet.“ Quod manifeſte falſum puto. Etenim poëta: *noli*, inquit, *me componere divitibus ac nobilibus, quales Theſeus, Demophoon, Jaſon fuere, inter quos vix est, qui ad finem vitae te amet & oſſa tua legat; at is ego tibi ero.* Nam modo dixerat: *Credo ego non paucas iſta periiſſe figura; Credo ego ſed multos non habuiſſe fidem. Parvo dilexit ſpatio Minoïda Theſeus, Phyllida Demophoon: hospes uterque malus. Jam tibi Jaſonia nota est Medea carina, Et modo ſervato ſola relicta viro. Noli nobilibus*, cet. Nempe Propertius, quia Cynthia ipſo excluſo divitem amatorem admiſerat, majore hujus elegiae parte divitum ac nobilium in amore levitatem carpit, ſuam vero conſtantiam ad mortem usque manſuram praedicat.

El. XXV, vſ. 17, 18.

At nullo dominae teritur ſub limine amor, qui
Reſtat, & immerita ſuſtinet aure minas.

In voce *immerita* cur haeſerint interpretes, non video, mirorque Broukhuſium *emerita*, Burmannum

nam *intrepida* corrigere voluisse, cum utrumque multo minus sit, quam quod habet vulgata lectio. Non enim ea tantum, quae quis patitur sine merito suo, dicuntur immerita, sed etiam is, qui patitur, immeritus. *Auris immerita* est, quae minas audire non meruit. Minas autem, i. e. objurgationes, audire & sustinere, quas non merueris, uti durissimum est, ita singularem amantis constantiam designat: unde mox sequitur, *peccasse fatetur Laesus*, quod majus etiam.

Ibid. vs. 35, 36.

At si secla forent antiquis grata puellis,
Essem ego, quod nunc tu: tempore vincor ego.

Hexametrum, ab aliis aliter tentatum, mendo carere existimo. Quod *si secla forent grata* scil. erga amatores fidos, qualem me Cynthiae praesto, *antiquis puellis*, dum puellae existerent antiquae, antiquum obtinentes, proba & integra fide. Nempe sexto casu absoluto haec sunt accipienda, ut e. gr. L. IV. I. 33. *parva urbe.* Itaque hanc sententiam inde elicio: *si puellarum mores ita nunc essent comparati, ut fidis amatoribus parem gratiam referrent, velut antiquae solebant puellae, constanter me amaret Cynthia, ut ego illam, neque tu nunc ejus amore exsultares; sed vincor iniquitate temporum.*

El-

El. XXVI. 1—6.

Vidi te in ſomnis fracta, mea vita, carina
Jonio laſſas ducere rore manus,
Et quaecumque in me fueras mentita, fateri,
Nec jam humore graves tollere poſſe comas.
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen
Aurea, quam molli tergore vexit, ovis.

Ita poſtremum diſtichon interpunxit Paſſeratius, eumque ſecutus Kuinoelius: dure, ut mihi videtur. Quodſi ita comparationem inſtituere voluiſſet poëta, non ovem, ſed fratrem puellae, qui una veheretur, memoraſſet, ſororem fluctibus agitari videntem. Repetendum puto praecedens *vidi*, aut *videre ſolemus*, nempe in picturis vel poëtarum descriptionibus. Similis ellipſis est Cic. Amicit. C. 2. *Te autem* (ſcimus) *alio quodam modo, non ſolum natura & moribus, verum etiam ſtudio & doctrina eſſe ſapientem: nec ſicut vulgus, ſed, ut eruditi, ſolent appellare ſapientem, qualem in tota Graecia neminem.* Ubi a ſciolis post *qualem* intruſum *inveni*, etiam *reliqui*, quemadmodum hoc Propertii loco *agitavit* pro *agitatam* inſulſe legitur in nonnullis codd. Itaque hoc modo verſus illos diſtinguo:

Nec jam humore graves tollere poſſe comas,
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
Aurea quam molli tergore vexit ovis.

El.

Ibid. vſ. 9, 10.

Quae tum ego Neptune, quae tum cum Caſtore fratri,
Quaeque tibi excepi tum, Dea Leucothee?

Pro *excepi* Heinſius conjecit *exegi* vel *ſuſcepi*, alii illud poſitum pro *ſuſcepi* n. vota arbitrantur. Fortaſſe *excipere* hic idem eſt, quod Graecis ἐξαιρεῖν i. e. ἐξαίρετον δίδοναι, ut interpretatur Scholiaſtes ad Hom. Il. II. 56. de donis eximiis, quae vel Diis vel hominibus offerebantur, frequens, ex gr. Soph. Trach. 245. ἐξελοῦ' αὐτῷ πτῆμα καὶ θεοῖς χαρτὸν. Verbum Graecum expreſſit etiam Virg. Aen. IX. 271. ubi cf. Cerda. Itaque noſter: *quae* ſ. *qualia*, ait, *dona tum ſeligi, ſelecta deſtinavi, vovi, Neptune!*

Ibid. vſ. 21 — 28.

Nunc admirentur, quod tam mihi pulcra puella
Serviat, & tota dicar in urbe potens.
Non, ſi Cambyſae redeant & flumina Craeſi,
Dicat: de noſtro ſurge, poëta, toro.
Nam mea quum recitat, dicit ſe odiſſe beatos.
Carmina tam ſancte nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum conſtantia prodest.
Qui dare multa poteſt, multa & amare poteſt.

Poſtrema *multa & amara poteſt* tanquam corrup-

rupta alii aliter conjiciendo immutarunt in *multum & amare potest*, *multum in amore potest*, *multa negare potest*, Santenius in *non & amare potest*, Burmannus in *stulte & amare potest*. At vulgatam lectionem non sollicitandam esse arbitror. Nimirum hac elegia, quae a memoratis versibus initium capere videtur, Propertius de sua in amore constantia & fide gloriatur, atque eo praesertim nomine se Cynthiae favorem adeo demeruisse h. l. innuit, ut opulentis amatoribus longe praeferretur, causamque addit, quod, qui divitiis labefactatur, facilis praeda fieri solet Veneris πανδήμου, & *amare multa* i. e. multas puellas nulla constantia. Sic Lib. I. XIII. 52. scripserat: *Haec tibi vulgares istos compescet amores*, *Nec nova quaerendo semper amicus eris.* Ubi *nova* sunt amicae novae. Nempe etiam quum de hominibus sermo est, quo latius pateat oratio, frequenter genus neutrum adhibetur, quae loquendi ratio non observata compluribus fraudi fuit, ipsique adeo J. F. Gronovio ad Liv. I. 53. *Vetant mirari, si qualis in cives, qualis in socios, talis ad ultimum in liberos esset: in se ipsum postremo saeviturum, si alia desint.* Ubi pro *alia* tentabat *alii*. Sed recte, probante etiam Drakenborchio, lectionem vulg. tuetur Cortius ad Sallust. Jug. XIII. 6. cf. Id. ibid. XIV. 16. & Drakenb. ad Liv. II. V. 4. Eodem neutrorum usu delectantur scriptores omnis generis, ex. gr. Horat. I. od. XXXIV. 13. *insig-*

nem

nem attenuat Deus, Obſcura promens. Ovid. Met. X. 18. ibid. V. 343. ubi Heinſius lectionem *Cereris ſumus omnia munus* merito praefert alteri *ſunt omnia.* cf. idem ad X. 32. Hom. Hymn. in Ven. 34. Plura dabit Kypkius Obſerv. Sacr. ad Joan. XVII. 2. & epiſt. Pauli Epheſiis vulgo inſcriptam VI. 13. ubi *ἅπαντα* itidem ſenſu neutro capere mallim.

El. XXVII. vſ. 5, 6.

Seu pedibus Parthos ſequimur, ſeu claſſe Britannos;
Et maris & terrae coeca pericla viae.

Simplex hujus diſtichi ſententia eſt: *Sive terra ſive mari iter facimus, utrumque pericula habet incerta.* Sed in verſu minori non plana eſt verborum ſtructura, neque variis doctorum correctionibus ſatis emendata. Verum, ni fallor, aſſequemur ſcribentes: *Et maris & terrae coeca perinde via eſt.* Vulgat. *viae* facile oriri potuit ex compendio ſcripturae *via ē:* tum *coeca via* est incerta, periculoſa, quemadmodum Ovid. Am. II. XI. 16. *Litora marmoreis pedibus ſignanda puellae: Hactenus eſt tutum: cetera coeca via eſt.* Conjecturam meam probavit G. T. Surjugar, vir amiciſſimus, in Obſervationum in Prop. ſpecimine altero (Lingae 1806.) idemque ſibi in mentem veniſſe ſcribit.

Ibid.

Ibid. vs. 13, 14.

Jam licet & Stygia sedeat sub arundine remex,
Cernat & infernae tristia vela ratis.

Stygia sub arundine alii exponunt de cymba arundinea, alii de arundinetis, Stygis ripam praecingentibus. Verius, opinor, per arundinem intelligemus tonsam si remum, sub quo Charon sedeat in transtro ad remigandum jam paratus. Ad hunc sensum ducit etiam seq. *remex. Stygia ar.* ut Virg. Aen. VI. 391. *Stygia carina.*

El. XXVIII. vs. 9—15.

Num sibi collatam doluit Venus? illa peraeque
Prae se formosis invidiosa Dea est.
An contemta tibi Junonis templa Pelasgae?
Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper, formosae, non nostis parcere verbis.
Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.

Suspicatur poëta aegrotantem Cynthiam morbum sibi contraxisse non tam ex aëris aestu, quam quod aliquam Dearum formosarum prae se contemsisset, & verbis petulantibus laesisset. Quoniam igitur de contemta Dearum forma ferme est, aliena ab hoc loco videntur esse *Junonis templa* quae *contemta* neglectum quidem Deae cultum in-

dicant, non vero ſpretae & verborum contumeliis affectae injuriam formae. Fortasſe poëta ſcripſit:

An contemta tibi Junonis membra Pelasgae?

Uti in Minerva oculi, ſic in Junone membrorum ſ. corporis decor & majeſtas maxime celebrantur; imo haec etiam propter brachiorum ſummam pulcritudinem, quae, ut & pedes, per excellentiam γυῖα, *membra*, appellantur, perpetuo epitheto λευκώλενος, illa γλαυκῶπις ab Homero vocatur. Cf. Lucian. Charidem. vol. IX. p. 278. (ed. bip.)

El. XXIX. vſ. 15—18.

Quae quum Sidoniae nocturna ligamina mitrae
Solverit, atque oculos moverit illa graves:
Affluebant tibi non Arabum de gramine odores,
Sed quos ipſe ſuis fecit Amor manibus.

Vs. 16. *illa* num ſit Propertii, dubito, quia praeceſſit *quae*. Ernestius utique Cic. Phil. XIII. 19. Fin. delevit *ille*, tanquam perperam ſcriptum praecedente *qui*. Cum autem *ille* & *inde* permutentur in veterum ſcriptis, ut Virg. Aen. III. 663, non male conjicias *oculos moverit inde graves*, poſſitque *inde* eſſe pro *deinde*, *mox*, vel potius pro *ex ea*, n. mitra, ſi mitram ſcilicet ſolutam tantum, non depoſitam cogitemus; tum vero conveniret illud Hymn. Hom. in Sol. vs. 9. σμερδνὸν δ' ὅγε δέρκεται ὄσσοις Χρυσέης ἐκ κόρυθος.

Ibid. vs. 41, 42.

Sic ego tam sancti custos excludor amoris;
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

Quidquid in versu penultimo innovarunt eruditi, non ita mihi placet, ut cum vulgata lectione commutari velim. *Custos* nonnulli interpretantur *speculator*, *observator*, sed malim per ironiam dictum accipere, ut se ipse accuset amator, quod, morum intemperantiae & levitati deditus, puellam pudicam (talem enim hoc carmine proponit Cynthiam,) tam male custodivisset, neglexisset.

El. XXX. vs. 23 — 26.

Una contentum pudeat me vivere amica?
Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit.
Mi nemo objiciat. libeat tibi, Cynthia, mecum
Roscida muscosis antra tenere jugis.

Eodem fere modo apud Hectorem se excusat Paris Hom. Il. Γ. 64. Μή μοι δῶρ' ἐρατὰ πρόφερε χρυσέης Ἀφροδίτης, Οὔτοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα, Ὅσσα κεν αὐτοὶ δῶσιν, ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο. idem Paris apud Lucian. Dial. mort. XIX. ἐρωτικὸς γὰρ καὶ αὐτός εἰμι, καὶ τῷ αὐτῷ θεῷ κατέσχημαι· οἶσθα δὲ, ὡς ἀκούσιόν τί ἐστι, καί τις ἡμᾶς δαίμων ἄγει, ἔνθα ἂν ἐθέλῃ· καὶ ἀδύνατόν ἐστιν ἀντι-

τάττεσθαι αὐτῷ. At abrupta nimis videtur oratio post *objiciat*; quamobrem ab Heinsio, sed duriori medela, restituebatur *Mnemonidum atque uti nam*, vel *Dummodo* aut *Si modo Mnemonidum*; a Burmanno *Si nemora adliciant*. Ev. Wassenbergius corrigebat: *Id nemo objiciat*. Sed sic idem hiatus manet. In mentem mihi venerat *Ut nemo officiat*, idque & transitum reddere faciliorem & aptissime cum loci contextu congruere putabam. Patet enim causam, cur poëta in ruris solitudinem puellam invitet, hanc fuisse, ut iniquos de se rumores exstingueret, neve ipsius amori quisquam obesse posset.

Haec dum recenseo, non satis causae subesse video, cur lectio vulg. mutetur. Verba, *Mi nemo objiciat* n. crimen, quibus locus ex Homero modo depromtus quodammodo favet, arctius cum praecedente versu cohaerent, quamobrem sic interpungas:

Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit;
Mi nemo objiciat. Libeat cet.

Mi habet emphasin, cum opponatur Amori. Sententiarum vero transitus, qui hic quidem, in medio praesertim versu, paulo durior deprehenditur, non est nimis anxie quaerendus in Propertio, quippe qui non raro brevitatis studiosus ab re altera ad alteram omissis mediis Lyricorum more transiliat.

El.

El. XXXII. vſ. 5—10.

Curve te in Herculeum deportant eſeda Tibur?
Appia cur toties te via ducit anum?
Hoc utinam ſpatiere loco, quodcunque vacabis,
Cynthia! ſed tibi me credere turba vetat.
Quum videt accenſis devotam currere taedis
In nemus, & Triviae lumina ferre Deae.

Poſtremum hoc diſtichon ſuperiori praeponendum ſuſpicor, & *quum* mutandum in *cur* (*quur*), ut ordo ſit:

Appia cur toties te via ducit anum? (vel potius, ut quidam libri habent *anus.*)
Cur videt accenſis devotam currere taedis
In nemus, & Triviae lumina ferre Deae?
Hoc utinam ſpatiere loco, cet.

Ad viam Appiam nemus erat Aricinum Dianae ſacrum, vid. Cluverii Ital. ant. L. III. p. 931. Itaque: *Cur*, inquit, *via Appia*, i. e. *populus in hac via frequentiſſimus, te videt* δᾳδοφόρον *intrare nemus Dianae Aricinae? Quin tu potius, ſiquid vacabis, hic in urbe obambula. Tibi vero crebros diſceſſus excuſanti quominus credam, turba, quam ubique obviam habes, prohibet. Sed* vs. 8. ſermonem continuat, velut Graecorum δέ. Ad vs. 9. *Cur videt* cet. conf. Horat. Epiſt. L. I. VI. 25. *Cum bene notum Porticus Agrippae, & via te conſpexerit Appi*, cet.

Ibid. vſ. 11—16.

Scilicet umbroſis ſordet Pompeia columnis
Porticus aulaeis nobilis Attalicis:
Et creber platanis pariter ſurgentibus ordo,
Flumina ſopito quaeque Marone cadunt:
Et leviter Nymphis tota crepitantibus urbe,
Quum ſubito Triton ore recondit aquam.

Poſtremi verſus novam lucem conſequuntur reperti recens Tritonum capitibus ſive perſonis, quarum ora hiant & olim aquae in cloacas deducendae inſerviebant. Vid. Viscontius (Buſti del Muſeo Pioclementino) tom. VI. qui locum ita conſtituit, ut *lymphis*, quod in plurimis codd. est, reponat, & *quum* in *qui* mutet cum Marklando. Quo facto *Triton* apte referetur ad *ſordet* vs. 11.

Ibid. vs. 25, 26.

Sed tu non debes inimicae credere linguae,
Semper formoſis fabula poena fuit

„ An ſe ipſum alloquitur poëta?" rogat Paſeratius. Non puto. Generalem hic effere ſententiam mihi videtur, velut vs. 49. pro his: *non credendum est linguae inimicae.* Utitur autem apoſtrophe ad eos, quicunque rumorem illum de

Cyn-

Cynthia accepissent; atque ita commode inchoat suavem illam animi conversionem, qua ad lenitatem ac veniam se paratum ostendit.

El. XXXIV. vs. 27—32.

Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
Proderit, aut rerum dicere posse vias?
Aut quid Cretaei tibi prosunt carmina lecta?
Nil juvat in magno vester amore senex.
Tu satius Musis meliorem imitere Philetam,
Et non inflati somnia Callimachi.

Vs. 31. varie tentarunt atque interpretati sunt critici. Nihil vero horum magnopere mihi placet. Versum sic intelligo: *Tu potius Musis*, i. e. *carminibus tuis, imitere Philetam, doctorem aptiorem, ad ea, quae nunc tibi amanti canenda sunt, melius convenientem, utiliorem, quam quos tractare soles poëtas philosophos.* Virg. Aen. V. 483. *Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis Persolvo.* i. e. aptiorem, interprete Servio. Hom. Il. Γ. 11. ὁμίχλην Ποιμέσιν οὔτι φίλην, κλέπτῃ δὲ τε νυκτὸς ἀμείνω.

Ibid. vs. 89—92.

Haec etiam docti confessa est pagina Calvi,
Quum caneret miserae funera Quintiliae.

Et modo formoſa quae multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua.

Poſterius diſtichon ad ſanitatem reducere multi conati ſunt; Heinſius *multa* mutando in *mulſa*, Marklandus in *flente*, &, ne plures memorem, Wakkerus legendo *multa Lycoride paſſus*, Mitſcherlichius *formoſam qui multa Lycorida queſtus*. Sed nihil horum, ſi bene examines, non habet, quod diſpliceat. *Mulſa* forma est inſolentior, tum rei parum convenit, quia Lycoris Galli vulnera non mulcebat, ſed perfidia ſua exasperabat; *flente* nimis abit a ſcriptura vulgata, itidem *paſſus* & *queſtus*, quae praeterea removent Galli nomen, quod non bene omittitur, quoniam in praecedentibus ubique nomina poëtarum propria adduntur. Puto mendum latere in voc. *Mortuus*, quod hic otioſum est. Repone *Moerens*. Ita ſenſus exibit integer: *Et haec Gallus confeſſus est, qui modo, dum cauſa Lycoridis formoſae multa moerebat, querebatur, inferno flumine vulnus abluit, mortem finem ac ſolatium amoris habuit*. *Moerere* cum ablativo ponit Virg. Georg. III. 518. *moerentem fraterna morte juvencum*, Cic. pro Balbo 25. *Hominum alienis bonis moerentium*. Deinde *multa moerens*, velut Ovid. Met. I. 664. *Talia moerenti*.

Lib.

Lib. III. El. III. vſ. 1—4.

Viſus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos, & regum facta tuorum,
Tantum operis nervis hiscere poſſe meis.

Vs. 4. *hiscere*, pro quo Heinſius *numeris ducere*, Schraderus *dicere* conjiciebant, ſatis defenditur ſimili uſu verbi Graeci χαίνειν, quod ab hiando primum, ut Heſychii gloſſa utar, ἀνοίγειν τὸ στόμα notavit, deinde *os aperire ad loquendum, voce efferre, dicere.* Ita poſuit Sophocl. Ag. 1227. τὰ δεινὰ ῥήματα χανεῖν, ubi Schol. εἰπεῖν, & Ariſtoph. Vesp. 341. ubi idem notatum a Scholiaſte. Eadem est ratio verbi *hiare*, cujus ſignificationem nulla necesſitate coarctare videtur Broukhuſius, quando ad Sannazar L. I. El. XI. 18. de ſtatuis tantum & imaginibus uſurpari poſſe ſuſpicatur. Ceterum G. J. Vosſius, qui derivationem verbi *canere* a gr. χανεῖν repudiat in Etymologico, propterea quod *hiatum* & *cantum* immane quantum differre cenſebat, ex graeci verbi uſu laudato, quemadmodum iſta congruant, discere potuisſet.

El. IV. vſ. 12—18.

Ante meos obitus ſit, precor, illa dies,

Qua videam, ſpoliis onerato Caeſaris axe,
Ad vulgi plauſus ſaepe reſiſtere equos.
Inque ſinu carae nixus ſpectare puellae
Incipiam, & titulis oppida capta legam,
Tela fugacis equi, & braccati militis arcus.
Et ſupter captos arma ſedere duces.

Inter poſtremum hoc diſtichon & praecedens ſermonem abruptum praeterierunt interpretes. Obſeruasſe tamen Heinſium credo, qui vs. 16. emendabat *Spectare — Incipiam titulis oppida lata ſuis*, neque hoc tantum, opinor, ne *ſpectare* abſolute ſtaret, ſed etiam, ut eo praeter *oppida* referrentur *Tela fugacis equi* & ſqq. Verum tamen *ſuis* pro *legam* ſubſtituere nullo juvante MS. temerarium videtur. Quamobrem praeſtabit in *legam* intelligere *videns*, ſ. *ſpectans*, vel potius ex vs. 13. repetere *videam*, quemadmodum h. Lib. El. IV. vs. 13. *vidiſti* repetendum est: *Nec ſpeculum ſtrato vidiſti, Lygdame, lecto? Ornabat niveas nullane gemma manus? Ac moeſtam teneris veſtem pendere lacertis? Scriniaque ad lecti clauſa jacere pedes?*

El. V. vſ. 13, 14.

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas,
Nudus ab inferna, ſtulte, vehere rate.

Ab

Ab rate vehi non fert latinitas. Kuinoelius *ab* cum *vehere* jungendum dicit. Sed hanc tmesin, cujus exemplum desidero, tersо poëtae non libenter ingesserim. Cf. quae Burmannus ad Lib. III, XI. 6. hujusmodi tmesium repertores commode monuit. Praefero emendationem Schraderi *Nudus at*, cui favet lectio *ad*, in multis libris obvia, tum hoc etiam, quod frequenti errore librarii sextos casus praepositione onerarunt. Vid. Cortius ad Sall. Cat. VI. 6.

Ibid. vs. 25—28.

Tum mihi naturae libeat perdiscere mores,
Quis Deus hanc mundi temperet arte domum:
Qua venit exoriens, qua deficit; unde coactis
Cornibus in plenum menstrua luna redit.

Poëtae, de rerum natura memoraturi quaestiones, ordiri solent a sole & luna, sicut Virg. Georg. II. 477. *coelique vias & sidera monstrent, Defectus solis varios lunaeque labores.* Tib. II. IV. 17. *Non refero solisque vias, & qualis, ubi orbem Complevit, versis luna recurset equis.* item J. Wallius, elegans veterum imitator, Lib. II. El. III. *Scire lubet, quodcunque latet; qua lege recurrant Sidera; quae mundi temperet hora vices: Cur niteant stellae, cur sol, cur luna laboret.* Itaque *deum* vs. 26. de sole intelligendum

dum puto, qui *mundi domum*, i. e. coelum, *arte*, ſapienter, *temperet*, regat; Virg. Georg. I. 231. *Idcirco certis dimenſum partibus orbem Per duodena regit mundi ſol aureus aſtra.* Aeſch. Agam. 4. Ἀστρῶν κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν, Καὶ τοὺς φέροντας χεῖμα καὶ θέρος βροτοῖς Λαμπροὺς δυνάστας, ἐμπρέποντας αἰθέρι Ἀστέρας. Ita ſolem δεσπότην κόσμου appellat auctor hymn. Orph. VII. 16. Quin etiam deus abſolute pro ſole a poëtis Graecis frequenter uſurpatur Aeſch. Perſ. 500: πρὶν σκεδασθῆναι θεοῦ ἀκτῖνας. ubi cf. Stanlejus. Quodſi vs. 26. uti ex locis allatis veroſimillimum fit, de ſole recte interpretor, nullum dubium eſt, quin ſqq. *Qua venit exoriens, qua deficit*, eo ſint referenda, neque difficultatem habet *exoriens*, quod, ut ſimpliciter poſitum pro ſole oriente, merito ſuſpectum fuit Burmanno.

El. VI. vſ. 21, 22.

Ille potest nullo miſeram me linquere facto?
Aequalem nulla dicere habere domo?

Pentametrum varie tentarunt multi, ſed parum feliciter. Melius feciſe mihi videntur, qui lect. vulg. expoſuerunt hoc modo: *Num ille negare potest me rivalem habere?* Verum tamen hoc huic loco vix convenire potest. Mutatione minima reſtituo: *Aequalemve illa dicere habere domo?*

tno? i. e. *Num ille me, quae nihil fraudis commiserim, relinquere, num dicere, gloriari potest, se habere ex ulla dona puellam mihi aequalem moribus & fide?* Propterea sequitur vs. 25. *Non me moribus illa, sed herbis improba vicit.* Horat. I. od. XXIV. 6. sqq. *Cui Pudor — quando ullum inveniet parem?*

Ibid. vs. 29.

Et strigis inventae per busta jacentia plumae.

Busta jacentia Passeratius explicat *diruta, eversa*, vel *humilia*, Heinsius post varias conjecturas *collapsa*, quem sequitur Mitscherlich. ad Horat. Epod. V. 20. Fortasse satius erit intelligere *busta late per campi spatium disposita*; idque cum significatione foeditatis, velut Seneca. Herc. Fur. 686. *Palus inertis foeda Cocyti jacet.*

El. VII. vs. 9, 10.

Et mater non justa piae dare debita terrae,
Nec pote cognatos inter humare rogos.

Cum justa non Terrae, tanquam Deae, solverentur, sed umbris mortuorum sive manibus, non placet opinio Marklandi, Terram Matrem h. l. significari statuentis; ut nec altera illa Santenii,

qui construebat *justa terrae piae*, intelligens pulverem arenae, corpori injiciendum; quod anxie quaesitum mihi videtur. *Justa dare piae terrae* idem puto, quod inferias dare sepulcro, loco pio s. sancto, in quo umbra pia adesset, quemadmodum *pium arvum*, ubi pii post mortem morari credebantur, dicitur auctori Cons. ad Liv. 329. Is sensus, quantum video, tam perspicue ex his verbis elucet, ut ampliorem illustrationem respuat.

Ibid. vs. 17.

Paete, quid aetatem numeras?

Schraderus conjiciebat *memoras*, sed non necessarium; imo illud significantius. De ipso annorum numero non ita magno Deos monuisse adolescens fingitur. *Numerare* enim saepe est, numerum vel minorem vel majorem cum emphasi quadam significare. Senec. Oed. 615. *Interque natos Tantalis tandem suos Tuto superba fert caput fastu gravi, Et numerat umbras.* i. e. etiam in inferis jactat numerum s. multitudinem liberorum. Horat. Lib. II. Epist. II. 210. *Natales grate numeras?*

Ibid. vs. 21—24.

Sunt Agamemnonias testantia litora curas,

Qua

Qua natat Argynni poena minantis aquae.
Hoc juvene amisso, classem non solvit Atrides:
Pro qua mactata est Iphigenia mora.

Uti *natat* & *minantis*, sic *notat* & *natantis* in MSS. legitur, variaturque etiam in prima & ultima voce hujus pentametri; unde variae lectiones ortae. Burmannus Scaligerum & Broukhusium secutus edidit: *Quae notat Argynni poena natantis aqua:* Marcilius legebat: *Quae notat Argynni poena, minantis aquae:* explicant „Quae litora infamat poena Argynni." Verum poena, si diligentius locum tractes, num bene dici potest infamare litora, cum non in litore, sed aqua perierit juvenis? Itaque praeferenda videtur Parrhasii ratio, a Cantero, N. Heinsio aliisque probata, legentis: *Qua notat Argynni poena natantis aquas.* Verum magis mihi placet lectio Passeratii, quam recepit Kuinoelius; ita tamen, ut post *poena* interpungas, & *minantis aquae* ad *litora* referas; aut reponas *Argynnus*, ut hic ipse aquae minantis poena dicatur, sicut, ubi mors alicujus vitio vertitur crudam, hic illius crimen dicitur poetae, ut Propert. II. XXVIII. 2. *Jupiter — Tam formosa tuum mortua crimen erit.* quod imitatur Ovid. Her. XV. 160. *Ne sim Leucadiae mortua crimen aquae.* Propositae conjecturae favere videtur, quod in quibusdam codd. est *Agivum* & *Argivis*, in edd. priscis *Argivum.* Convenienter itaque ge-

nio Propertiano Argynnus vocaretur poena, quippe quam ab eo haberet Cephiſus, vel potius mare Aegeum, quo nonnemo eum ſubmerſum ſtatuit: hoc enim ad ſimilitudinem caſus, quo perierat Paetus, magis accederet, & cum *litoribus* & *aqua minanti* i. e. iracunda melius congrueret.

Alia haeſitatio oritur ex loco Senecae Med. 620. *Aulis amiſſi memor inde regis Portubus lentis retinet carinas, Stare querentes.* Ubi Scaliger Erginum, regem Orchomeniorum, intelligit, &, cum hujus morti Seneca idem tribuat, quod Propertius interemto Argyno, moram videlicet navium, poëtarum alterutrum confudiſſe putat Argynum, *Agamemnonis amorem*, cum Ergino Argonauta. Sed, ſi vel maxime Erginus a tragoedo deſignetur, quod tamen valde incertum, neque aliunde conſtat, non inde neceſſario ſequitur factam eſſe confuſionem; potuere enim illi, quod non raro factum eſt, diverſos de eadem re mythos ſequi, vel, quod vero mihi ſimilius videtur, Seneca in mortuorum Argonautarum recenſione, quam choro tribuit, conſilio ſuo aptum putavit, ad iſta tempora retrahere cauſam iniquitatis, qua deinceps infamis fuit ille Aulidos portus; finxitque adeo, quo magis pro more veterum poëtarum deteſtandam navigationem declararet, Auliden coepiſſe moram facereſſere navigaturis, postquam rex ille in expeditione Argonautica periiſſet. Quodſi vero ſeriem orationis apud Senecam ſequaris, pronum

num tibi erit, versus allatos ad Tiphyn referre, cujus interitum modo memoraverat chorus. Cui opinioni adversatur quidem Scaliger, argumentans Tiphyn non fuisse regem; verum, etiamsi concedamus, hunc nulli regno praefuisse, licet ipsius regni paterni eodem loco mentio fiat, rex tamen Argus i. e. gubernator dici potuit, velut Aesch. Pers. 381. νεῶν ἄνακτες. ubi cf. Abresch. Val. etiam Flaccus, Graecos imitatus, I. 418. *Non metuat cui regna ratis, cui tradere coelum Assidua Tiphys vultum lassatus ab Arcto.* Cf. Burmann. Utut est, hoc saltem obtinebo, nihil hic turbasse Propertium, cum vulgaris sit opinio, causam, quaecunque ea fuerit, qua Graeci Trojam oppugnaturi in Aulide retinerentur, tum primum fuisse natam; quandoquidem alii ventos contrarios fuisse narrant, quod Neptunus Trojae parcere cuperet, alii, quod Agamemnon Dianae cervam occidisset imprudens, quae vulgo nota sunt. Propertius vero, qui rariora fere sequitur, Argynnum, puerum delicatum, quem vehementer amabat Agamemnon, morte abreptum impedimento fuisse praedicat; &, si Plutarcho in Gryllo fidem habemus, isto amore (cujus etiam meminere Jul. Pollux, Stephanus Byz., Clemens Alexandr. Protrept. p. 25, & Athenaeus L. XIII. 8.) Graecorum imperator unice detentus, mare & ventos falso criminatus est. Idem de Paride scribit Oenone Ovid. Her. V. 4. *Ah quoties, cum te vento quererere teneri, Risu-*

 runt

cum comitis? ille secundus erat. Quem locum non bene interpretatur Burmannus major. „Secundus," inquit, „mihi amanti, quiq te retinebat, nec ille flante abire poteras." Imo secundus erat Paridi navigaturo; sed hic, quod invitus discederet morandique causas quaereret, de vento adverso simulate querebatur, id quod risum movebat comitibus. Varias captare moras amantium est, ingratiis a conjugibus puellisve discedentium, cf. Ovid. Her. II. 96. Tib. I. III. 15. Quodsi Paridem ex animo de vento revera contrario querentem cogites, hoc, totius loci sensu bene perspecto, repugnare auctoris menti videbis. Sed ad nostrum revertamur. E sequenti disticho *Hoc juvene amisso* cet. porro videmus, saltem post mortem Argynni ventum restasse, & hinc demum ulterioris moae causam exstitisse.

Ibid. vs. 25. 26.

Reddite corpus humo, positaque in gurgite vita
Pactum sponte tua vilis arena tegas.

Markl. ad Stat. Sylv. II. 4. p. 211. restituit *positamque in margine ripae*, idque probant Burmannus, aliique viri principes. Fateor equidem ita aliquam orationi facilitatem accedere, versumque ad Ovidianam conformari copiam, siquidem *reddi humo*, i. e. in litus ejici, & *poni in margine ripae* eadem sunt; verum de uberiate sententiae, Propertio magis propria, nonnihil detrahitur.

Set-

Servo lectionem vulgatam, quae in omnibus est codd. & edd., atque ita intelligo: *vos, Dii marini, facite, ut Paeti corpus in ternam appellatur, eique, cum in vestro gurgite vitam posuerit, hoc saltem contingat, ut vilis cum arena vel sua sponte tegat.* Praefero scilicet Guyeti Santeniique lectionem *sua — tegat.* Sentis vero ex vulg. illa lectione versus hexametri causam redundare idoneam, quae poëtae preces foveat.

Ibid. vs. 60.

Attulimus longas in fata vestra manus.

Olim voc. *longas* suspectum habens conjiciebam *sanctas*; cf. vs. 16. Eurip. Orest. 1606. Ἁγνὰς γὰρ εἶμι χεῖρας. cf. Aesch. Agam. 785. Senec. Herc. Fur. 1328. Ovid. 791. Med. 901. Similiter noster Lib. III. XXXII. 28. *Tutis oris puras, Phoebe, videre manus*, i. e. veneficio aliove scelere non pollutas. Sed malo vulgatum *longas* tueri cum Scaligero aliisque. Nempe imagine diversa, sed exquisitiore, eandem rem expressit, suntque *manus longae* totae, integrae, nullum ob crimen mutilatae. Priscorum hominum, suos sensus moresque Diis tribuentium, vulgaris erat opinio, quoscunque viderent aliquo membro captos, aliisve malis affectos, hos a Diis flagitiorum poenas repetentibus immitti, atque adeo, si quis peccas-

set, ea maxime membra puniri, quae patrandis facinoribus servierant, ideoque manus praesertim: supra Lib. II. XXXIV. 9, 10.

Lynceu, tune meam potuisti tangere curam?
Perfide, nonne tuae tunc cecidere manus?

El. XI.

De hac elegia diversa sunt virorum doctorum judicia, quae vide in argumentis Burmanni & Kuinoelii. Tantum non omnes censuerunt, rebus deesse ordinem & convenientiam, neque exitum respondere principio, quod nonnulli Propertii genio condonarunt, alii damnarunt. Kuinoelius vero, iisdem difficultatibus motus, contendit ex duabus elegiis diversis hanc unam esse conflatam, alteramque istarum incipere a vs. 29. *Quid? modo quae nostris* cet.

Non initior in parte posteriore sententiarum primem esse turbatum; sed huic hoc modo non medicaberis. Passeratius recte quidem trajiciendum esse monuit distichon *Nunc ubi Scipiadae classes?* cet., quod olim legebatur antepenultimum; verum ne sic quidem res salva est. Vs. 47. ignavia Romanis exprobratur; mox vs. 49. sequitur Romanorum Augusto duce victoria & hujus de Cleopatra triumphus; deinde vero vs. 57. redit eadem ignavi timoris exprobratio, eique magna parcorum heroum virtus opponitur; quae, inprimis illa, *Nunc ubi Scipiadae classes? ubi signa Camilli?* cet. pro-

prorſus alienа ſunt post memoratas Auguſti laudes ac triumphum. Itaque post vs. 46. inferendos eſſe puto vs. 57. & ſqq. ad 67. hoc ordine:

Scilicet inceſti meretrix regina Canopi, 39
Una Philippeo ſanguine inuſta nota,
Auſa Jovi noſtro latrantem opponere Anubim,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas;
Romanamque tubam crepitanti pellere ſiſtro,
Baridos & contis roſtra Liburna ſequi;
Foedaque Tarpeio conopia tendere ſaxo,
Jura dare & ſtatuas inter & arma Mart. 46
Septem urbs alta jugis, toto quae praeſidet orbi, 57
Femineas timuit territa Martis minas.
Nunc ubi Scipiadae claſſes? ubi ſigna Camilli?
Et modo Pompeia Bospora capta manu?
Hannibalis ſpolia? & victi monumenta Syphacis?
Et Pyrrhi ad noſtros gloria fracta pedes?
Curtius expletis ſtatuit monumenta lacunis:
Admiſſo Decius praelia rupit equo.
Coclitis abſciſſos teſtatur ſemita pontes.
Eſt cui cognomen corvus habere dedit. 66
Quid nunc Tarquinii fractas juvat eſſe ſecures, 47
Nomine quem ſimili vita ſuperba notat,
Si mulier patienda fuit? cape, Roma, triumphum,
Et longam Auguſto ſalva precare diem.
Fugiſti tamen in timidi vaga flumina Nili:
Accepere tuae Romula vincla manus.
Brachia ſpectavi ſacris admorſa colubris,
Et trahere occultum membra ſoporis iter.

Non haec, Roma, fuit tanto tibi cive verenda,
Nec ducis assiduo lingua sepulta mero. 56
Haec dii condiderunt, haec dii quoque moenia
servant. 67
Vix timeat salvo Caesare Roma Jovem.
Leucadius versus acies memorabit Apollo.
Tantum aperis belli sustulit una dies.
At tu, sive petes portus, seu, navita, linques,
Caesaris in toto sit memor Ionio.

Vides jam concinnam sententiarum seriem: primum distribuuntur reginae bellum Romanis inferentis minae & apparatus a vs. 39—46; deinde Romanorum timor indignus & ab avita virtute abhorrens a vs. 57—66. & a vs. 47— ad medium vs. 49; tandem ab Augusto relata victoria atque instaurata ac stabilita reipublicae salus a medio vs. 49—56 & a vs. 67. ad finem. Ceterum postrema ab universa elegiae argumento non tam remota mihi videntur, ut a praecedentibus disjuncta velim, ac pro diversa elegia habeam. Nempe id agit hoc carmine poëta, ut amorem suum excuset, quo devictus mulieris imperio sa subjecerat; mox in rem suam adhibet varia exempla feminarum, quae latum & grave imperium in viros exercuerant, Medeae, Rhenthesileae, Omphales, Semiramidis; quibus nunc addi Cleopatram, Aegypti reginam, quid mirum, cum hoc exemplum esset recentissimae memoriae, tum vero gravissimum, quia ipsis Romanis, quorum imperium affectare ausa fuerat, timorem

rem injecerat haud mediocrem? Easdem ob causas in hoc diutius moratur, neque quidquam, praesertim poëtae lyricam rationem saepius sequenti, fuit proclivius, quam, ubi semel Cleopatrae meminisset, laudem victoris Augusti pro corollario attexere. Ita ex. gr. carmine sequente, Postumo in militiam profecto, Gallae uxoris fidem ac pudicitiam laudat, deinde, ubi eum cum Ulysse comparaverat, ad hujus errores & fata opportune deducitur. Cf. hujus libri El. XV. & Horat. I. od. III. atque ibi Mitscherlichii argumentum.

El. XII. vs. 13, 14.

Neve aliquid de se fiendum referatur in urbe;
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.

Sic cum emphasi, velut Ovid. Met. XI. 727. ubi Halcyone ad Ceyca, naufragio exstinctum: *Sic, o carissime conjux, Sic ad me, miserande, redis?* Consol. ad Liv. 127. sq. *Siccine dignus eras oculis occurrere matris? Sic ego te reduem digne videre fui? Sic redeunt* scilicet, ut iis morientibus non liceat adesse, & extrema officia praestare, ne corpora quidem ipsa mortuorum recipiantur, sed tantum *aliquid*, tantum exigui cineres, σποδὸς ἀντίανειρα, ut vocat Aesch. Agam. 454. *cinis pro ipsis viris redux.* Mos erat antiquissimus, caesorum in praeliis corpora comburere, & ossa

cineresque una cum armis domum referre, vel remittere ad propinquos. Hom. Il. H. 331. Τῷ σε χρὴ πόλεμον μὲν ἅμ' ἠοῖ παῦσαι Ἀχαιῶν, Αὐτοὶ δ' ἀρφόμενοι κυκλήσομεν ἐνθάδε νεκρούς, Βουσὶ καὶ ἡμιόνοισιν· ἔπειτα κατακήομεν αὐτοὺς Τυτθὸν ἄπο πρὸ νεῶν, ὡς κ' ὀστέα παισὶν ἕκαστος Οἴκαδ' ἄγῃ, ὅταν αὖτε νεώμεθα πατρίδα γαῖαν. Aesch. l. l. Ἀυτὰ φονεῦσιν δὲ τεύχη Καὶ σποδὸς εἰς ἑκάστου τοὺς Δόρυσσ εἰςαφικνεῖται. Ὁ χρυσαμοιβὸς δ' Ἄρης σωμάτων Καὶ ταλαντοῦχος ἐν μάχῃ δορὸς πυρωθὲν ἐξ Ἰλίου Φίλοισι πέμπει βαρὺ Ψῆγμα δυσδάκρυτον. Ἀντήνορος ἐκδοῦ Γεμίζον τοὺς λέβητας εὐθέτους. cet. e seqq. autem chori versibus & 517. liquet hunc honorem principibus modo & locupletioribus contigisse, cum ceteri in terra peregrina sepelirentur.

El. XIII. vs. 5 — 10.

Inda cavis aurum mittit formica metallis,
Et venit e rubro concha Erycina salo:
Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores,
Cinnamon & multi pastor odoris Arabs.
Haec etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quaeque terunt fastus, Icarioti, tuos.

Horum versuum postremus varie fuit acceptus ac tentatus. *Quae* nonnulli retulerunt ad *pudicas*, in his Ruhnkenius, qui ideo *gerunt*, lectionem Guyeti & Scioppii assumebat. Sed uti verbum

bum *expugnant*, sic etiam *terunt* ad *arma* appositissimum est, tum vero etiam ad fastus Penelopes, quos, utpote asperrimos, arma illa non statim expugnant, sed *terunt* i. e. paulatim minuunt, infirmant. Praeterea *que*, quod inprimis observandum, hic non simpliciter copulandi vim habet, sed augendi, qua valent saepius *et*, *etiam*, *vel*. Itaque interpretor: *Quae arma vel tuos fastus*, *Penelope*, *tuam asperitatem et constantiam plane singularem*, *sensim possunt contundere*. Quae profecto sententia est haud paulo acutior. Particula *que* nonnunquam hac usurpatur potestate, velut in *hodieque*, ut & Graecorum τε, verbi causa Hom. Il. A. 63. καὶ γάρ τ' ὄνειρ ἐκ Διός ἐστιν & Aesch. Agam. 187. Στάζει δ' ἔν θ' ὕπνῳ πρὸ καρδίας Μνησιπήμων πόνος. *Etiam in somno cura e malefactorum conscientia instillatur cordi.*

El. XIV. vs. 13, 14.

Et modo Taygeti, crines adspersa pruina,
Sectatur patrios per juga longa canes.

Sectatur a Schradero mutatum in *hortatur*, probante Burmanno: infeliciter, quemadmodum recte monstravit Huschkius in epist. crit. ad Santenium p. 62. Schraderus autem verbum *sectari* accepit significatione *insectandi*, quam ad feras quidem, non ad canes convenire videbat; verum *sectari*

canes hic est pone canes, lire, sequi canibus praecurrentibus. Ita verbum legas ex. gr. Tib. I. X. 41. *Ipse suas sectatur oves, at filius agnos* cf. id. II. III. 7. Videlicet ante venatores procurrere solent canes ad feras investigandas atque e latibulis excitandas, quas ipsi mox prehendant aut sectantibus dominis excipiendas praebeant. Sic jam Hesiodus rem repraesentavit Scut. Herc. 302. τοὶ δ' ὠκύποδας λαγὸς ἦρευν Ἄνδρες θηρευταὶ, καὶ καρχαρόδοντε κύνε πρὸ, ἱέμενοι μακέσιν, οἱ δ' ἱέμενοι ὑπαλύξαι. Item Hom. Od. T. 435. Οἱ δ' ἐπὶ θῆσσαν ἴμασον ἐπακτῆρες· πρὸ δ' ἄρ αὐτῶν Ἴχνη ἐρευνῶντες κύνες ἦϊσαν· αὐτὰρ ὄπισθεν Τέσσ Αὐτολύκου· μετὰ τοῖσι δὲ δῖος Ὀδυσσεὺς Ἤιεν ἄγχι κυνῶν, κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.

Ibid. vs. 27.

Non Tyriae vestes errantia lumina fallunt.

Propter abstrusiorem notionem voc. *errantia* divinabam aliquando *mirantia*. Quaecunque enim valde & plus, quam decet, amamus & cupimus, ea mirari dicimur. Horat. Lib. I. ep. VI. 17 sq. *I nunc, argentum & marmor vetus aeraque & artes Suspice: cum gemmis Tyrios mirare colores.* cf. ibid. ep. X. 30 sq. Vulpius quidem & alii scripturam vulgatam sic explicant: „vestes fallunt errantia lumina, dum vitia corporis absconduntur.“

Kui-

Kuinoelius intelligit „oculos dubio motu fluctuantes, q. d. te timidum, qui neſcias, quo oculos conjicias," & refert ad vs. 31. *Nec quae ſint facies, nec quae ſint verba rogandi Invenias.* Quodſi vero *errantia* ſervandum cenſeas, intelligere malim lumina, pretioſas veſtes percurrentia, quae dum ſatiari nequeunt, huc illuc flexa omnes earum partes avide perluſtrant, ita ut non mores, non formam puellarum, ſed ornatus duntaxat pretium ac ſplendorem ſpectent, atque adeo re indigna capiantur, fallantur.

Ibid. vſ. 29—32.

At noſtra ingenti vadit circumdata turba,
Nec digitum anguſta eſt inſeruiſſe via.
Nec quae ſint facies, nec quae ſint verba rogandi
Invenias; caecum verſat amator iter.

Vs. 31. *facies* & *verba rogandi* cum Heinſio & Burmanno majori diſplicerent, variis modis corrigere tentarunt. Ille legebat *Nec quae ſint partes*, vel *Nec qui ſint aditus*, hic *Nec quae ſit facilis, nec quae ſit acerba roganti* vel *nec quae det verba roganti.* Marklandus conjiciebat *rogando*, dictum velut *ſolvendo non eſſe.* Sed neſcire me fateor, quid his viris diſplicuerit in hoc verſu, qui ſatis expeditus mihi videtur. *Neſcias*, inquit Propertius, *quonam oris habitu aut quibus*

bus tandem verbis puellam roges, i. e. ad amores pellicias. Opponit enim Romanorum mores moribus Laconum, quorum liberam cum puellis verfandi copiam, qua ipſe carebat, ita modo laudaverat: *Lex igitur Spartana vetat ſecedere amantes, Et licet in triviis ad latus eſſe ſuae. Nec timor aut ulla eſt elauſae tutela puellae, Nec gravis auſteri poena cavenda viri. Nullo praemiſſo de rebus tute loquaris Ipſe tuis: longae nulla repulſa morae. Facies* dixit numero plurali ad vultus corporisque ſpecies varias, quas aliquis blandiendi cauſa induat, indicandas. Similiter *vultus* plur. num. poſuit Cic. de Orat. II. 59. *ut mores ejus, de quo narres, ut ſermo, ut vultus omnes exprimantur.* Tac. Ann. I. 7. *Poſtea cognitum eſt, ad introſpiciendas etiam procerum voluntates inductam dubitationem. nam verba, vultus, in crimen detorquens recondebat.* In quibus locis praeterea, quod rei fert natura, *vultus* & *ſermo* ſ. *verba*, ut hic *facies* & *verba* junguntur. *In omnes ſe vertere facies*, παντοῖον γίνεσθαι (Lucian. Dial. Mort. XXI.) & de illis dicitur, qui in anguſtias adducti, ut ſeſe expediant, nullis non utuntur artificiis; vid. Virg. Aen. XII. 891. Ceterum nihil refert, *rogandi* legas, an *roganti*, quod olim praeferebam. *Verba rogandi* ſunt, quibus rogetur puella, ſicut *pretium vehendi*, quo quis vehatur, Ovid. Fast. II. 115. *Ille ſedens citharam-*

qua

que tenet, pretiumque vehendi Cantat, itaque ap. eundem Her. V. 147. *radix medendi*, pro quo Heinſius *medenti*, retinendum videtur, De vi ac uſu gerundiorum conſule Cortium ad Salluſt. Jugurth. C. LXII. §. 8. & Periz. ad Sanctii Min. III. 8.

El. XVIII. vſ. 9, 10.

His preſſus Stygias vultum demerſit in undas;
Errat & in vestæ ſpiritus ille lacu.

Deëst nomen eius, quem mortuum refert ac deplorat; at vero vs. 10. pronomen *ille*, in quo celebritatis notio eſt, Marcellum, publicè tunc temporis ab univerſa civitate deſletum, ſatis videtur commonſtrare. Sed

Ibid. vs. 25—28.

Ille licet ferro cautus ſe condat & aere,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facias, non vis exemit Achillem,
Croesum aut, Pactoli quas parit humor, opes.

pronomen demonſtrativum *ille* poni pro incerto aliquo, ut vult Paſſeratius, plane ſingulare eſt. Quamobrem partitive hic a poëta adhibitum eſſe ſuſpicor, tanquam ſi ſubjecturus eſſet alterum *ille*,

bus tandem verbis puellam roges, i. e. ad amores pellicias. Opponit enim Romanorum mores moribus Laconum, quorum liberam cum puellis verfandi copiam, qua ipſe carebat, ita modo laudaverat: *Lex igitur Spartana vetat ſecedere amantes, Et licet in triviis ad latus eſſe ſuae. Nec timor aut ulla eſt elauſae tutela puellae, Nec gravis auſteri poena cavenda viri. Nullo praemiſſo de rebus tute loquaris Ipſe tuis: longae nulla repulſa morae. Facies* dixit numero plurali ad vultus corporisque ſpecies varias, quas aliquis blandiendi cauſa induat, indicandas. Similiter *vultus* plur. num. poſuit Cic. de Orat. II. 59. *ut mores ejus, de quo narres, ut ſermo, ut vultus omnes exprimantur.* Tac. Ann. I. 7. *Poſtea cognitum eſt, ad introſpiciendas etiam procerum voluntates inductam dubitationem. nam verba, vultus, in crimen detorquens recondebat.* In quibus locis praeterea, quod rei fert natura, *vultus* & *ſermo* ſ. *verba*, ut hic *facies* & *verba* junguntur. *In omnes ſe vertere facies*, παντοῖον γίνεσθαι (Lucian. Dial. Mort. XXI.) & de illis dicitur, qui in anguſtias adducti, ut ſeſe expediant, nullis non utuntur artificiis; vid. Virg. Aen. XII. 891. Ceterum nihil refert, *rogandi* legas, an *roganti*, quod olim praeferebam. *Verba rogandi* ſunt, quibus rogetur puella, ſicut *pretium vehendi*, quo quis vehatur, Ovid. Faſt. II. 115. *Ille ſedens citharam-*

qua

que tenet pretiumque vehendi Cantat. Itaque ap. eundem Her. V. 147. *radix medendi*, pro quo Heinsius *medenti*, retinendum videtur. De vi & usu gerundiorum consule Cortium ad Sallust. Jugurth. C. LXII. §. 8. & Periz. ad Sanctii Min. III. 8.

El. XVIII. vs. 9, 10.

His pressus Stygias vultum demersit in undas;
Errat & in vestro spiritus ille lacu.

Deest nomen eius, quem mortuum refert ac deplorat; at vero vs. 10. pronomen *ille*, in quo celebritatis notio est, Marcellum, publice tunc temporis ab universa civitate defletum, satis videtur commonstrare. Sed

Ibid. vs. 25 — 28.

Ille licet ferro cautus se condat & aere,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Croesum aut, Pactoli quas parit humor, opes.

pronomen demonstrativum *ille* poni pro incerto aliquo, ut vult Passeratius, plane singulare est. Quamobrem partitive hic a poëta adhibitum esse suspicor, tanquam si subjecturus esset alterum *il-*

le,

le, *sive hic*, atque ita porro, pro quibus certos notosque viros nominatim apposuerit, Nirea, Achillem, Croesum.

Ibid. 29, 30.

Sic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridae magno cum stetit alter amor.

Hoc distichon cum abruptius incidat, a Scaligero relegatum est in Lib. II. el. VIII. (illi VII.) quod probaverunt Broukhusius & Burmannus, item Mitscherlichius, qui tamen *ignaros*, quod videbat ibi non convenire, mutavit in *ingratos*. Videlicet *alter amor Atridae* si intelligitur de amore in Briseida, absurdum est illud *ignaros*, quandoquidem Achivi non ignorabant, hunc amorem, detrectante pugnam Achille, sibi magnae cladis causam esse. Verum ignorabant, unde ipsos pestis affligeret, donec a Calchante edocerentur Chryseidem, quae Agamemnoni in praedae partem cesserat, *alter* post Argynnum vel Clytaemnestram *amor*, patri reddendam esse. Imo ipsum illud *ignaros*, quod in omnibus est libris, mihi pignori est, hoc distichon ad hanc elegiam pertinere. Ut enim Graeci pestilentia homines rapiente, sic Romani mortuo Marcello nescie-bant, quae causa esset publicae calamitatis, quis Deus iratus, aut quamobrem; inde vs. 8 *roga-*

ve-

verat: *Quis Deus in vestra constitit hostis aqua?* Itaque poëta ad hunc versum respicit; qui tamen quia longius praecessit, & huic disticho, de quo agimus, cum vicinis nullus fere intercedit nexus, fortasse cum quibusdam statuendum nonnulla excidisse, aut distichon solitarium carmini praefigendum est. Sane abruptum initium animi dolentis perturbationem egregie designaret.

El. XIX. vs. 15—19.

Crimen & illa fuit, patria succensa senecta
Arboris in frondes condita Myrrha novae.
Nam quid Medeae referam, quo tempore matris
Iram natorum caede piavit amor?
Quidve Clytaemnestrae, ect.

Ad genitivos *Medeae* & *Clytaemnestrae* interpretes revocant *crimen* e vs. 15, quod durius mihi videtur, quia crimen ibi figurate ponitur pro *criminosa*. Satius erit, ni fallor, *amorem* repetere e vs. 18. atque ita jungere: *Quid referam amorem Medeae*, si Medeam amantem *illo tempore, quum iste amor iram matris*, quum mater amans iram suam, *caede natorum piavit?* ect.

El. XXII. vs. 15.

Et si qua Gygaei visenda est ora Caystri.

Sic

Sic vitiose legitur in edit. Kuinoelii pro *Et qua Gygaei*; haec autem lectio secundum Burmannum in edit. Brixiana a. 1486. primum apparuit, quamquam *Gygaei* etiam in quibusdam libris biblioth. Vatic. legatur. Vossii correctionem *Orygii* multis defendit Broukhusius. Alterutrum probum mihi videtur aliisque lectionibus praeferendum; *Orygii* tamen propius accedit ad scripturam optimorum codd., in quibus est *Ogygiae*, *Origiae*, *Origae*, *Origie*, *Origii*.

Ibid. vs. 35—38.

Cornua nec valuit curvare in pellice Juno,
Aut faciem turpi dedecorare bove:
Arboreasque cruces Sinis, & non hospita Graji
Saxa, & curvatas in sua fata trabes.

Vs. 37 sq. accusativi *crucas*, *saxa*, *trabes* ad verba *valuit curvare* vs. 35, quod volebat Broukhusius, commode referri non possunt; certe *curvare saxa*, *curvare curvatas trabes* nemo dixerit; neque aptum cum Junone statim jungitur Sinis. Quapropter cum Lipsio arbitror ante vs. 37. quaedam excidisse. Ceterum non de diversis latronibus, sed de uno Sinide hic loqui Propertium puto, propterea quod principium & exitus distichi ad eum necessario pertinent, media vero non bene alio trahi possunt. Simili autem

haec

haec optime conveniunt, quippe qui in saxosis Isthmi angustiis, quarum nota sunt pineta, in hospites saeviebat. Boettigerus opere de picturis vasorum Graecorum (Griechische Vasengemälde) vol. I. Part. 2. p. 134. docte disputat de Thesei latronis πιτυοκάμπτου domitore, contendens Sinin, Procrusten, Scironem aliosque unum modo fuisse, cui verum nomen fuerit Sciron, reliqua ejusdem esse cognomina; Atheniensesque vero, aemulatione ductos, inde plures fecisse eosque omnes a Theseo morte mulctatos, ut haberent, quem Herculi, heroi Boeotio, opponerent. Fortasse igitur Propertius auctorem Graecum ante oculos habuit unius maxime latronis facinora memorantem. Praeterea observat idem Boettigerus Sinin illum sive Scironem tanto fuisse corporis robore, ut pinus proceras ad terram posset flectere, ac praetereuntes coëgisse, ut idem facerent, hos autem, ubi viribus deficerentur, ex iisdem arboribus suspendisse; quod vero narrant eum hominem duabus arboribus ad terram ductis alligasse iisque remissis miserabiliter necasse, hoc recentioris esse commenti, & cruciibus arboreis Propertii, antiquiorem poëtam probabiliter secuti, solum indicari suspendium.

El. XXIII. vv. 1—6.

Ergo tam doctae nobis periere tabellae,

Scripta quibus pariter tot periere bona!
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
Qui non signatas jussit habere fidem.
Illae jam sine me norant placare puellam,
Et quaedam sine me verba diserta loqui.

Recte postrema interpretatur Passeratius: „tabellae supplices, cum abessem, didicerant iratam lenire & exorare." Minus bene Kuinoelius: „tabellae visae tantummodo, silentio ipso, satis diserte loquebantur, iratam puellam demulcebant, etsi ne verbulum quidem iis inscriptum esset." Profecto tabellas nihil scripti continentes mittere, praesertim puellae iratae, dementis esset. Imo, quod alii praesentes flendo & orando vix efficerent, id ille noster scriptis precibus a puella sua absens impetrabat, juvante tabellarum ab amatore tritarum adspectu, ita ut hae sine ipso satis diserte loquerentur.

El. XXIV. vs. 1, 2.

Falsa est ista tuae, mulier, fiducia formae,
Olim oculis nimium facta superba meis.

Schraderus, (vir amplae accurataeque doctrinae, cujus ego manes, praeceptoris discipulus, pie veneror, non sentiens, quomodo Cynthia oculis Propertii superba fieri potuerit, reponebat

Olim

Olim elegis Emendat. C. VIII. p. 164. Burmannus quoque haerebat, putidumque hoc pronunciabat, Propertium suos ipsum laudare oculos, quapropter omnino legendum monebat *oculis tuis*; item Fr. Jocobsius in epist. ad Astium p. XXXIX. proponens: *Oh curis nimium s. Oh nimium curis*. Sed locus sanus est: *superba facta oculis meis*, h. e. oculorum meorum judicio; quo formam tuam olim probavi. Eodem sensu *oculos* simpliciter posuit Ovid. Her. XVII. 100. *Quam multos credas juvenes optare, quod optas; Qui sapiant? oculos an Paris unus habes?* & vs. 125. *Contenta est oculis hominum mea forma probari*. Et ipse Propertius Lib. IV. IV. 20. *formosa oculis arma Sabina meis*. Item Flor. IV. XI. 9. *Regina ad pedes Caesaris provoluta tentavit oculos ducis frustra. Nam pulcritudo intra pudicitiam principis fuit*. Oculi nempe formae omnisque pulcri sunt judices, quibuscum animus subito consentit; Lucian. Dial. mar. V. fin. ubi Panope, Paridem de forma Dearum judicaturum respiciens: ἤδη σοι φημὶ, οὐκ ἄλλη κρατήσει, τῆς Ἀφροδίτης ἀγωνιζομένης, ἢν μή τι πάνυ ὁ διαιτητὴς ἀμβλυώττῃ. Sunt enim oculi quasi viae, per quas immissum pulcritudinis effluvium, & in animum delatum, amoris flammam excitat; uti ait Plato in Phaedro: δεξάμενος τὴν τοῦ κάλλους ἀπορροὴν διὰ τῶν ὀμμάτων ἐθερμάνθη. Quo respexit Achilles Tatius L. V. ἡ δὲ

τῆς θέας ἡδονὴ διὰ τῶν ὀμμάτων εἰσρέουσα τοῖς στέρνοις ἐγκάθηται· ἕλκουσα δὲ τοῦ ἐρωμένου τὸ εἴδωλον ἀεὶ ἐναπομάσσεται τῷ τῆς ψυχῆς κατόπτρῳ, καὶ ἀναπλάττει τὴν μορφήν· ἡ δὲ τοῦ κάλλους ἀπορρόη δι' ἀφανῶν ἀκτίνων ἐπὶ τὴν ἐρωτικὴν ἑλκομένη καρδίαν ἐναποσφραγίζει κάτω τὴν σκίαν. Cum Achille concinit Musaeus de Her. & Leandr. vs. 92. Κάλλος γὰρ περίπυστον ἀμωμήτοιο γυναικὸς Ὀξύτερον μερόπεσσι πέλει πτερόεντος ὀϊστοῦ. Ὀφθαλμὸς δ' ὁδὸς ἔστιν· ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων Κάλλος ὀλισθαίνει καὶ ἐπὶ φρένας ἄνδρος ὁδεύει. Inde lepidus versus Sen. & Syri Sent. 39. *Amor, ut lacryma, oculis oritur, in pectus cadit*, ubi cf. Gruterus. Itaque amantium oculi formae pulcritudine & gratia dicuntur teneri, abripi, tanquam telis vulnerari, cet. nam, ut ait Socrates ap. Xenoph. Memor. I. III. § 13. τοῦτο τὸ θηρίον, ὃ καλοῦσι καλὸν καὶ ὡραῖον, τοσούτῳ δεινότερόν ἐστι τῶν φαλαγγίων, ὅσῳ ἐκεῖνα μὲν ἁψάμενα, τοῦτο δὲ οὐδ' ἁπτόμενον, ἐάν τις αὐτὸ θεᾶται, ἐνίησί τε καὶ πάνυ πορρωθεν τοιοῦτον, ὥστε μαίνεσθαι ποιεῖν, ἴσως δὲ καὶ οἱ ἔρωτες τοξόται διὰ τοῦτο καλοῦνται, ὅτι καὶ πόρρωθεν οἱ καλοὶ τιτρώσκουσιν. Prop. I. XIX. 5. *Non adeo leviter nostris puer haesit ocellis, Ut meus oblito pulvis amore vacet.* id. II. XVIII. 7. *Interea nostri quaerunt sibi vulnus ocelli, Candida non tecto pectore fiqua sedet.* Quod imitatus Relandus Galat. El. I. *Quin oculos docui, ne quae sibi vulnera quaerant, Figere in opposito lumina*

na caſta ſolò. Ovid. Am. II. XVII. 12. *O facies oculis nata tenere meis!* Sic paſſim & hic & alii poëtae. Atque hinc illuſtratur Aeſchylus, qui Agam. 751. Helenam vocat μελλέκλυν ὀμμάτων βέλος, quae miti vulnere virorum oculos feriret; quemadmodum & ſupra Muſaei verba ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων intelligenda ſunt, neque alias legatorum illud Perſicorum apud Herodot. L. V. C. 18. γυναῖκας εὐμόρφους ἀντίας ἵζεσθαι ἀλγηδόνας ὀφθαλμῶν, quo etiam per jocum uſus fuit Alexander ſecundum Plutarch. Alex. C. 36. Neque ego cauſam video, cur Herodotum propter hanc dictionem reprehenderit Longinus Sect. IV, quem merito refellunt interpretes. Minime vero huc referendum eſt vocab. ἱλικωψ s. ἱλικῶπις, licet ad Hom. Il. A. 93. ἱλικώπιδα κούρην Scholiaſtae vett. interpretentur πρὸς ἥν οἱ νέοι τοὺς ὤπας ἱλίσσουσιν ὡς εὐπρεπῆ. Verior explicatio eſt Graevii ad Heſiod. Theogon. 16. „Ἑλικοβλέφαροι & ἱλικώπιδες puellae Graecis dicuntur, *quae ſunt mobili oculorum petulantia*, ut Petronius loquitur; ſive *quae habent*, ut idem dicit, *blandos oculos & inquietos, Et quaedam propria nota loquaces.* Qui hinc Ovidio dicuntur *arguti.*" Cum vero oculi praecipua pars ſint pulchritudinis, formoſarum etiam oculi oculos virorum rapere & auferre nonnunquam dicuntur: ἁρμὸς γὰρ εἰς τὰ ὄμματα τῶν καλῶν τὸ κάλλος κάθηται, μέον δὲ ἐκεῖθεν ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς τῶν ἐρώντων ἵσταται, quod eſt

apud Achillem Tatium Lib. VI. Hoc autem Ovidio maxime propter lusum verborum placuit, ex. gr. Her. XII. 36. *Et formosus erat, & me mea fata trahebant; Abstulerant oculi lumina nostra tui.* Am. III. XI. 48. *Perque tuos oculos, qui rapuere meos.* Met. XIV. 370. *Per o tua lumina, dixit, Quae mea ceperunt.* His dudum scriptis ac deinde Prolus. a. [illegible] in lucem editis, animadverti Huschkium in ep. crit. p. 85. versum Propert. *Olim oculis nimium facta superba meis*, similiter accepisse, dum observat: „non oculos hic laudare voluit poëta, sed oculorum officium perstringere." Quod autem in re non injucunda nonnihil extra causam evagatus sum, id, mi Lector, aequi bonique facias.

El. XXV. vs. 9, 10.

Limina jam nostris valeant lacrymantia verbis;
Nec tamen irata janua fracta manu.

Hexameter pluribus displicuit, quemque ei sensum Passeratius & Broukhusius subjecerunt, is valde contortus est, imo falsus; nam fores clausae, quales hic intelliguntur, quaeque, ut ipse ait Broukhusius, scelestae, crudeles, durae, invidae vocari solent, quâ ratione dici possunt collacrymari, quasi misericordia tactae? Itaque Heinsius locum corruptum esse sentiens, emendabat

noſtris halantia ſertis, cum quo partim ſe facere Waſſenbergius humaniſſimis mihi literis indicavit, proponens *fragrantia ſertis*. Burmannus vero conjiciebat *lacrymis valeant manantia noſtris*; quod ego paulisper mutando propius ad vulgatae lectionis vestigia admovere mihi videor hoc modo: *Limina jam valeant lacrymis humentia noſtris*. Nempe *lacrymis* per compendium ſcriptum cum voce *humentia* facile conglutinari potuit & coire in *lacrymantia*. *Humere* ſimiliter apud Ovid. Her. V. 56. *lacrymis humet arena meis*.

Lib. IV. El. I. vſ. 27—32.

Nec rudis infeſtis miles radiabat in armis;
Miſcebant uſta prælia nuda ſude.
Prima galeritus poſuit prætoria Lucmo,
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves,
Hinc Tities Ramnesque viri Luceresque coloni:
Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

Ad vs. 30. Paſſeratius notabat: „i. e. in ovium numero; haec enim veterum divitiae.“ Itaque ſic intelligebat, Tatii bona magnam partem conſtitiſſe in ovibus. Poëta vero his verſibus deſcribit exiguas rei militaris ac publicae principia eaque orta monſtrat rure, ab hominibus agricolis. Propterea Lucumonem, qui, galeritus

sive rusticus esset, primum praetoria atque adeo castra instituisse narrat. Atque ita congruum erat me judice, & de Tatio paulo plus dicere, quam magnam divitiarum partem ei fuisse in ovibus. Scilicet uti centum illi Patres saepe in prato de republica deliberabant vs. 14, ita hoc versu poëtam *significare* puto, *Tatium* inter oves, i. e. rure, rebus, negotiis publicis, *saepe intentum* fuisse.

Ibid. vs. 119, 120.

Hactenus historiae. nunc ad tua devehor astra:
Incipe tu lacrymis aequus adesse novis.

Versum minorem ita accipit Passeratius: „favens adesto rebus flebilibus, quas nunc primum refero." Alii *lacrymas*, s. infortunia, dictas putant *novas* respectu malorum, quibus, uti modo dixerat astrologus, olim Graeci post Trojam incensam pressi fuerant. Verum hoc ille tantum narrat, ut haruspicinam, qua usus fuerat Calchas, vanam fuisse monstret, suamque rationem ex astris futura praedicendi commendet. Praeterea privata unius Propertii mala haud convenienter ut nova opponerentur publicis totius Graeciae cladibus. Marklandus, voc. *novis* impeditus, hoc mutandum putavit in *tuis*; sed praeter necessitatem. Versus incorruptus mihi videtur, verum

rum aliter intelligendus. Astrologus, qui inde a vs. 73. inducitur, poëtae fata expositurus, eumque carmina majoris spiritus averso Apolline suscipere demonstraturus, de more istorum hominum longo satis proëmio utitur ad artem suam commendandam. Postquam igitur unum alterumque exemplum facultatis suae attulerat, & ex historia Graecorum vanitatem ostenderat ceterorum vaticinandi generum, versu demum 119, ut doctrinam suam re ipsa probet, ea narrare incipit, quae jam olim Propertio acciderant, in his mortem patris, bonorum jacturam proscriptione acceptam, & amoris dolores, quae denuo, nunc reminiscens, esset ploraturus. Igitur *novis* i. e. renovatis, iteratis; dicitque ille: *malo tua, Properti, flellis indicibus mihi cognita dum repeto, tu, qui olim iis illacrymatus es, nunc iterum fleas, & novis lacrymis, ut aequum est, vaticinationem meam ratam facias.*

El. II. vs. 39, 40.

Pastorem ad baculum posſum curvare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.

Posſum curvare in pr. & quint. Vatic. legitur & in vet. lib. Passeratii, atque ita secundum Broukhus. conjecerat Francius. Quod cum mihi contortum praebere sensum videretur, & altera

cii conjectura *formare*, Heinſiique *Pastori ad baculum posſum certare* & Ayrmanni itemque Lennepii animadv. ad Coluth. p. 71. *Pastor me ad bac. posſ. curvare*, non ſatisfacerent, conjiciebam *Pastorem ad baculum posſum ſimulare*. Scilicet accidiſſe ſuſpicabar, ut hujus verbi literae priores *ſim* perirent, devoratae a praecedente ſyllaba *ſum*, & quod reliquum erat, abiiſſe in *curare*, quod in multis MSS. & primis edit., ſed ſine ſenſu tolerabili, invenitur. *Simulare* autem eleganter ſic uſurpant poëtae, velut Ovid. Met. XI. 350. *Phoebus anum ſimulat*. & XIV. 656. de eodem Vertumno *Ille etiam picta redimitus tempora mitra, Innitens baculo, poſitis ad tempora canis, Adſimulavit anum*. cf. Horat. L. I. epiſt. XIX. 2. Tamen, quod me deinde monuit humaniſſimus cenſor in Ephemeridd. litt. Gottingenſibus a. CIↃIↃCCC. *curvare pastorem*, ut doctius, praeferendum videri poteſt, quamquam idem non addidit, qua auctoritate ista dictio defendatur. Optime, quantum video, defendes pari loquendi genere de tragoedis, histrionibus ſimilibusque, hanc illamve perſonam cantando aut ſaltando repraeſentantibus. Horat. L. I. ſat. V. 63. *Pastorem ſaltaret uti Cyclopa*, *rogavit*. Ovid. A. A. I. 501. *Et plaudas, aliquam nimo ſaltante puellam*, ubi cf. Heinſius. Suet. Ner. 21. *Nioben ſe cantaturum pronunciavit*; ibid. *cantavit Canacen parturientem, Oreſtem matri-*

ci-

eidam, cet. Forma dicendi Graeca est, Schol. ad Aristoph. Lys. 389. γυνή τις τὸν Ἄδωνιν ὀρχουμένη. Plura vide in annotat. Valckenarii ad Theocrit. Adoniaz. p. 390. Fortasse ad hujus formulae similitudinem Propertius scripsit *curvare pastorem*, i. e. curvando repraesentare: solent nimirum pastores pecus observantes baculo suo s. pedo inniti, isque praesertim eorum habitus a poëtis & artificibus antiquis expressus fuit. Vid. Broukhus. ad h. l.

El. III. vs. 7—10.

Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modo munito Sericus hostis equo;
Hibernique Getae, pictoque Britannia curru,
Ustus & Eoo decolor Indus equo.

Eoo equo pro *Eoa aqua* primum substituit Gruterus, postea vero repudiavit, quia praecedens distichon eadem voce terminatur. Tamen alii hoc amplexi sunt; imo Broukhusius etiam in textum recepit. Nollem factum; tum quia vix credibile est, pentametros continuos eadem voce fuisse finitos, tum quia in omnibus fere codd. & editt. vetustis reperitur *Eoa aqua*, quod quemadmodum hic convenire possit, accuratius inquirendum videtur. Passeratius, qui tamen *Eois equis* praefert, illud defendi posse existimat loco Strabo-

bonis Lib. XII, ubi physiologi Onesicriti opinio memoratur statuentis, Indorum nigrum colorem oriri ex aquae fluvialis potione. Hoc autem, ut minus notum & abstrusum, poëtae non puto convenire. Arbitrer potius aqua Eoa significari plagam solis orientis; oritur enim Ἐξ ἀναλαβρείτας βαθυρρόου Ὠκεανοῖο Οὐρανὸν εἰσανιών, Hom. Il. H. 422. & saepius; unde finxerunt Solem uxorem duxisse Persen, Oceani filiam, ad quam caramque matrem & liberos noctu trans Oceanum vectus revertatur. Vid. Stesichorus ap. Athenaeum Lib. XI. p. 469. Itaque ne dicam, quod jam olim experientia docere potuit, quodque confirmant *novi peregrinatores*, velut Haafnerus in Itinerario (Reize in een Palanquin langs de kusten van Coromandel, enz.) in mari & regionibus maritimis Indiae multo majorem, quam alibi, esse aëris calorem; sed hoc ne utar, a ratione poëtica num alienum putabis, si aqua s. mari Eoo, tanquam secessu Solis, unde mane oriatur & primam proximamque lucem & calorem emittat, vicinus Indus decolor vel ustus dicatur? Indi enim veteribus dicebantur extremi Asiae populi ad oceanum in partibus potissimum australibus siti; id quod plures observarunt, in his Cuperus Observatt. IV. 7. Heynius ad Apollod. II. 5. 10. p. 394. ad Virg. I. 489. excurs. XIX. & ad Tib. II. III. 56. Huc pertinet Tib. IV. II. 20. *Proximus Eois — Indus aquis*, hoc enim huic poëtae re-

restituendum est, quod & vulgo legebatur, sed temere a Scaligero mutatum in *equis*; cf. ibi Heynius, & ad h. l. Propertii Burmannus. Idem reddendum Senecae Herc. Fur. 132. *Jam coeruleis evectus aquis Titan, summa prospicit Ida*; ubi minus bene nunc legitur *equis*. Cf. I. F. Gronovius. Quemadmodum autem, quod solis esse putabatur, mari tribuit Propertius, ita continenti idem adsignat Tibullus. II. III. 55. *Illi sint comites fusci, quos India torret.*

Ibid. vs. 38, 39.

Cogor & e tabula pictos edisscere mundos,
Qualis & haec docti sit positura Dei.

Vocem Lucretianam *positura* in Propertio vix ferendam putans Burmannus conjiciebat *Quave sit hinc longis puppis itura viis*, quod tamen audacius a se factum ipse fatetur. Ad vulgatam scripturam potius conveniret: *Qualis & hic docti sit positus radii*, i. e. qualis sit positus h. mundorum, terrarum, docti hominis radio descriptus. *Positus* hac potestate legitur apud Ovidium, Tacitum, alios; *radius* vero, geometrarum atque astronomorum instrumentum, vel ex illo notus est Maronis Ecl. III. 41. *Quis fuit alter, Describsit radio totum qui gentibus orbem.* Quodsi vero vocab. *positura*, ut probum, admittamus, ce-

cetera nihil habent, quod nos moretur, & *pastura Dei dicti* est positus s. situs regionum et plagarum a Deo intelligente ordinatus.

El. IV. vs. 13—16.

Murus erant montes: ubi nunc est curia sepia;
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeja Deae fontem libavit: at illi
Urgebat medium fictilis urna caput.

Murus erat fons hic in Colot. & pr. Vat. est, unde Passeratius conjecit *Purus erat fons hic*. Haec vestigia secutus Heinsius emendabat *Purus erat fons hic, ubi nunc est Curia, Vestae*, vel, quod ceteris suis & aliorum conjecturis praeponebat, *saepe Bellicus* cet. vs. autem 15 idem legebat *Hinc Tarpeja Deae rorem libavit*, ut crebra ejusdem vocis repetitio *fons, fonte, fontem* evitaretur: tum etiam *hinc* i. e. ex hoc fonte *fontem libavit*, absurdum est. Aptius tamen ad veterum scripturam quadraret *Hinc Tarpeja Deae fundoni libavit*. Utrumque verbum etiam jungit Virg. Aen. V. 77. *mero libans carchesia Bacchо Fundit humi*. Sed an satis causae adsit, cur veterem lectionem *Murus erant montes* extermi-nemus, valde dubito; ea vero retenta vs. 14. legendum fuaserim *e vivo fonte*, cf. vs. 4. *nativi aquis*. Nam *ex illo fonte*, cum fontis mentio

ion-

longius praecesserit vs. 7, & hujus versus lectio suspecta sit, non tolerabile est. Quamobrem locus ita constituendus videtur: *ubi nunc est curia septa, Bellicus e vivo fonte bibebat equus. Hinc Tarpeja Deae fundens*, vel cum Airmanno, quod simplicius, *Hunc Tarpeja Deae fontem libavit.*

El. IV. vs. 9, 10.

Quid tum Roma fuit, tubicen vicinus Curetis
Quum quateret lento murmure sæva Jovis?
Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
Sabini Romano pila Sabina foro.

Aptius haec cohaerebunt, si in posteriori distichon, continuata interrogatione & modo indicativo in conjunctivum mutato scripseris, *Sterent Romano pila Sabina foro?*

Ibid. vs. 27.

Dumque subit prima Capitolia nubila fuma.

Hiatum voc. *fuma* varie tentavit, tandem vero servare maluit, intelligens rorem vel caliginem matutinam. Sed fumus, absolute positum, an hoc designare potest? Praestabit intelligere fumum e propinquis castrorum ignibus, quos mox vs. 31. al-

alloquitur Tarpeia. Virg. Aen. IX. 159. *Interea vigilum excubiis obsidere portas Cura datur Messapo, & moenia cingere flammis.* Flor. I. XVIII. 24. *Victor primo praelio Pyrrhus, tota tremente Italia Campaniam, Lirim Fregellasque populatus, prope captam urbem a Praenestina arce prospexit: & a vicesimo lapide oculos trepidae civitatis fumo ac pulvere implevit. Primo* autem *Capitolia nubila fumo*, i. e., quum diluculo fumus, Capitolium obducens, primum appareret: videlicet per noctem flammae, per diem fumus conspiciebatur. Q. Curt. V. II. *observabatur* (in castris Alexandri) *ignis nocte, fumus interdiu.* Cf. Vegetius de re milit. L. III. C. V. & ibi Stewech. Ceterum *primus* saepe pro *quum primum*, ex. gr. Virg. Georg. III. 187. *primo depulsus ab ubere matris*, i. e. quum primum depulsus fuerit.

Ibid. vs. 93, 94.

A duce Tarpejo mons est cognomen adeptus.
O vigil, injustae praemia sortis habes.

In his versibus exponendis multum sudarunt interpretes. *Duce* neque Tarpejo, arcis praefecto, neque filiae Tarpejae convenit; ab hac autem nomen accepisse montem consentiunt scriptores. Itaque hexametrum leviter muto: *A duce Tarpeji mons*

mons est cognomen adeptus, i. e a duce Tatio monti cognomen Tarpeji datum est, scilicet a Tarpeja deductum. Versui minori hunc sensum tribuo: *O vigil* (per ironiam de virgine Tarpeja, proditioni obnoxia, sicut apud Virg. Aen. VI. 523. *egregia conjux* de Helena Trojam prodente,) injusta fors, quae indignis non raro favet, praemia tibi dedit, honorem scilicet appellati a te montis, quem non mereris.

El. V. vs. 19, 20.

Exornabat opus verbis, ceu blanda perirret,
Saxosamque terat sedula lympha viam.

Alii in versu majori *perirat*, in minori *sedula culpa*, Heinsius *copa*. Wakkerus praeferebat *lympha* ex cod. Borrich., quod & mihi perplacet propter *saxosam viam*. Nimirum ita exsistit comparatio suavissima & graphica: *dum lympha rupem blanda perirrat, assiduitate eam sedula cavat, ita sermone blando constantem puellae animum pervincere & corrumpere conatur lena.* Requiritur autem modus indicat. *perirrat, terit*, velut in his Virg. Aen. V. 87 sqq. (Anguis,) *Coeruleae cui terga notae maculosus & auro Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus Mille jacit varios adverso sole colores.*

El. VI. vſ. 15—18.

Eſt Phoebi fugiens Athamana ad litora portus,
Qua ſinus Joniae murmura condit aquae,
Actia Juleae pelagus monumenta carinae,
Nautarum votis non operoſa via.

Vs. 17. Marklandus, ne aliorum morer conjecturas, *pelagus* mutabat in *Leucas* probante Burmanno. Etiamſi ſciam populos ac regiones a poëtis ſaepe deſignari e locis vicinis, atque in deſcriptionibus pugnae navalis Actiacae nonnunquam memorari Leucadem inſulam ejusque promontorium *Leucaten*, ut Virg. Aen. VIII. 677. cenſeo tamen hanc inſulam nequaquam, ne a poëta quidem, appellari poſſe monumenta Actia, ſiquidem Leucas multa paſſuum millia diſtet ab Actio, cujus monumenta, templum Apollinis & portus, ab Augusto inſtaurata & munita, nihil habeant commune cum Leucade. In errorem induxiſſe Marklandum videtur locus Virgilii, a Servio ceterisque interpretibus perperam expoſitus, Aen. III. 274, ſq. *Mox & Leucatae nimboſa cacumina montis, Et formidatus nautis aperitur Apollo.* Quibus verſibus unum atque eundem locum ſignificari crediderunt. Ita Servius: *Leucate eſt mons altiſſimus, prope peninſula in promontorio Epiri, juxta Ambraciam, ſinum & civitatem; quam Augustus Nicopolin appellavit,*

vit, vidit illic Antonio & Cleopatra. Ibi & templum Actiaco in promontorio Apollini constituit & ludos Actiacos. Confundit utique loca, quoniam Actium ad sinum Ambracium situm erat, non vero Leucate. Virgiliani versus non indicant, eodem tempore navigantibus apparuisse Leucaten, & templum Apollinis, sed primum illam, deinde hoc ulterius progressis; quemadmodum luculenter demonstrat Heynius, quem etiam consule ad Aen. VIII. 677. Vitiose tamen in Propertii versu scriptum *pelagus* existimo, pro quo repetendum videtur e vs. 15. vel *portus*, vel potius *Phoebus*. Hanc lectionem juvat modo citatus Virgilii versus *Et formidatus nautis aperitur Apollo*. Nempe Phoebus s. Apollo, i. e. *pars illa saxea, in qua templum Apollinis erat*, (uti bene Pompon. Sab. ad Virg.) antea nautis formidata, postquam vero portus esset munitus, facilis accessu & *via non operosa*. Cf. Strabon. VII. p. 500 B.

Ibid. vss. 25, 26.

Tandem acies geminos Nereus lunatat in arcus:
Armorum radiis icta tremebat aqua.

„Pulcre," inquit Marklandus, „*tremebat aqua*, quasi metuens has armorum coruscationes." Mihi quidem hic sensus quaesitior videtur;

quam pro more Propertii, saltem hoc loco, ubi praeterea, ipso maris Deo aciem instituente, metus parum apte mari tribuitur. Malim *tremebat* simpliciter intelligere de tremulo aquae motu, radiis armorum repercussis magis conspicuo, sive de *aquae tremulo lumine*, uti pingit Virg. Aen. VIII. 23.

Ibid. vs. 69—74.

Bella satis cecini. citharam jam poscit Apollo
Victor, & ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant convivia ludo,
Blanditiaeque fluant per mea colla rosae.
Vinaque fundantur prelis elisa Falernis,
Terque lavet nostras spica Cilissa comas.

Vs. 71. *ludo* est ex conjectura Livineji & Heinii, idque probabant Burmanni; Kuinoelius etiam in textum intulit, quod vereor, ne temere sit factum. Respicit poëta morem antiquum, qui in sacris praesertim rusticis ac nemoralibus deinde servatus est, sacra convivia & dies festos in lucis celebrandi. Virg. Aen. XI. 737, sqq. *ubi curva choros indixit tibia Bacchi, Exspectare dapes et plenae pocula mensae; Hic amor, hoc studium; dum sacra secundus haruspex Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos*, ubi consulatur Heyn.; cf. Horat. I. Od. IV. 11. & Tib. I. X. 51.

Etiam

Etiam *mollem lucum* (qui ita dicitur non magis ob mollem umbram, quam molle ſolum, recubantibus gratum: ſic *nemus* pro humo nemoris apud Horat. III. od. XVII. vs. 9.) licet accipere pro quovis amoeno receſſu, ubi hilariter convivari diebus ſollemnibus conſueverant. Horat. II. Od. III. 6. *Seu te in remoto gramine per dies Feſtos reclinatum bearis Interiore nota Falerni. Qua pinus ingens albaque populus Umbram hospitalem conſociare amant Ramis, & obliquo laborat Lympha fugax trepidare rivo, Huc vina & unguenta & nimium brevis Flores amoenos ferre jube roſae.* Cf. Id. ibid. XI. 13 ſqq. & alibi.

Vs. 72. *Blanditiae roſae* non placet, ſive per appoſitionem jungas, quod alii fecerunt, ſive *roſae* genitivo caſu conſtruas cum Mitſcherlichio, qui comparat Graec. γάνος ῥόδων. Sed γάνος, quum de floribus dicitur potius est *decus*, *honor*, quemadmodum reddunt poëtae Latini; vid. Burmann. ad Anthol. Lat. Tom. I. p. 704. atque ita Moſch. Id. II. 70. Ἀγλαΐην πυρσοῖο ῥόδου, Tum blanditiae, quae proprie ſunt hominum & in verbis maxime conſiſtunt, ad flores infolenter translatae, multo etiam infolentius dicuntur *fluere per colla*, redimire collum. Ipſum id Mitſcherlichium ſenſiſſe ſuſpicor, cum addat conjecturam *Paeſtanaeque ſt. Blanditaeque*, quae Scaligeri est correctio, a Broukhuſio in textum recepta. Plinii

loco non bene defenditur; vid. Burmann. Fortasse magis arridebit *Nativaeque*, quod ad praecedens *luco* pulcre conveniet, ut intelligantur rosae ibi sponte sua natae, & quibus nihil allaboratum, nihil artificiose adjectum; infra El. VIII. 40. *Et facilis spargi munda sine arte rosa.* Praeterea delectatur hac voce Propertius, memoratque *lapillos nativos*, *torum nativum*, *aquas nativas*, cet.

El. VII. vs. 23.

At mihi non oculos quisquam inclinavit euntes.

Recte Burmannus restituit antiquam lectionem *euntes*, pro quo Barthius & Heinsius *hiantes*. Sensus huic versui sine controversia hic inest: *nemo mihi morienti claudendorum oculorum officium praestitit*. *Inclinare* enim est, quod alias hac in re *claudere*, *condere*, *premere*, *comprimere*; (e quibus postremum restituendum puto Val. Max. II. VI. 8. *filiarum manus ad supremum opprimendorum oculorum officium advocavit*; legamus *comprimendorum*; *opprimere* enim nimium est.) Sed *oculos euntes* explicatione indiget. Interpretes comparant cum *madidis*, *natantibus*, *labentibus*, *cadentibus*, *fugientibus*, non accurate. Tales quidem memorantur morientium oculi, sed non eadem ratione. *Oculi ma-*

madidi Ovid. Am. III. IX. 49. ὄμματα ὑγρὰ, ſunt veluti liquore offuſi, conturbati, caligantes. Servius ad Virg. Aen. IV. 244. *Phyſici dicunt, pupillas, quas in oculis videmus, morituros ante triduum non habere.* Cf. Capitolinus in Pertin. 14. quae ſic explicat Salmaſius ad Solin. p. 134. b. C. *Scilicet in morituris* (pupilla) *punctum illud nigrum, quod in medio fulgurat, triduo ante cum corona, ſive iride, confunditur, et indiſcreti coloris apparet, nec imagines reddit amplius.* Fruſtra autem fuerunt Servius et Cerda, qui inde explicare voluerunt *lumina canentia* Virg. Aen. X. 418. *Ut ſenior leto canentia lumina ſolvit;* hic intelliguntur oculorum palpebrae morte ſolutae eaeque, utpote ſenis, canis circumdatae ciliis, canisque ſuperciliis tectae. Velut *madidi*, ſic fere *natantes* dicuntur oculi, ex. gr. Virg. Aen. IV. 496. i. e. obtuſo et incerto lumine fluctuantes. *Labentes* vero, ut Virg. Aen. XI. 818. Quinctilian. Inſtit. Orat. L. VI. proöem. et *cadentes* Stat. Sylv. III. carm. ult. vs. 39. dicuntur, quorum palpebrae morte ſolutae ſubſidunt, qui etiam *morte graves* et *gravati*, ex. gr. Virg. Aen. IV. 688. et Ovid. Met. IV. 154. Alio autem modo Propertius Cynthiae morientis oculos dixit *euntes:* hi ſunt abeuntes velut e ſtatione ſua et ſpecula, quippe quorum lumen cum vita recedit, vel occidit inſtar ſiderum. Aeſch. Agam. 1129. ſqq. Ἐπὶ δὲ καρ-

δίαν ἔδραμε κροκοβαφὴς Σταγὼν, ἅτε καὶ δορὶ πτωτιμοις Ξυνανυτεῖ βίου δύντος αὐγὰς. Ita *abire*, *fugere*, *fugari* dicuntur sidera, vid. Drakenborch. ad Silium IV. 88. μεταβαινειν Hom. Od. M. 312. Cum oculis igitur *euntibus* convenirent sane *fugientes* Ovid. Am. III. IX. 49. *Hinc certe madidos fugientes pressit ocellos*, modo haec lectio sana esset. Duplex illud epitheton, quorum alterutrum sufficiebat, nulla copula ocellis adjectum displicet, neque ab Ovidio scriptum puto. Sensit idem sine dubio Heinsius, cum legendum conjecerit *madidos* vel *gravidos* vel *patulos fugienti pressit ocellos*; item Burmannus, qui edidit *madidos fugientis*. Tum vero *fugiens* est moriens, οἰχόμενος, quemadmodum *cedere* Consolat. ad Liv. 75, sq. *Cedis, et incassum tua nomina, Druse, levantur. Ultima sit fati haec summa querela tui.* quod distichon corruptum sic aliquando emendare tentabam, ut *vocantur* legerem cum Burmanuo, pentametrum vero mutarem hoc modo: *Haec utinam fati summa querela tui!* i. e. utinam haec de fato tuo querela suprema sit post tot Augustae domus funera, nam (vs. 77.) *Iste potest implere dolor vel secula tota*, cet.

Ibid. vs. 55—60.

Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
Turbaque diversa remigat omnis aqua.

Una

Una Clytaemneſtrae ſtuprum vehit, unaque Creſſae
Portat mentitae lignea monſtra bovis.
Ecce coronato pars altera vecta phaſelo,
Mulcet ubi Elyſias aura beata roſas.

Ad vs. 57. Burmannus notavit: „*Unaque* ex Livineji conjectura recepit Broukhuſius, ut una et eadem navis Clytaemneſtram et Paſiphaën vehere dicatur, quemadmodum altera Andromeden et Hypermnestram." Ita et alii haec ceperunt. Non probo. Primum unam modo navem Charontis memorant veteres, eamque, licet umbrarum multitudini nonnunquam vix ſufficientem, (Conſolat. ad Liv. vs. 358. *Omnes exſpectat avarus Portitor: et turbae vix ſatis una ratis,*) tamen capacem, εὐρεῖαν σχεδίαν στυγνοῖο χέροντος, Theocrit. Idyll. XVI. 41. Deinde nulla navis mentio praemiſſa est, ut durum ſit hanc intelligere. Facilius et rectius ex praecedenti verſu intelliges *aquam diverſam*, i. e. viam duplicem per aquas Stygias, in diverſas Orci ſedes, Tartarum et Elyſium, ducentem. Itaque una aqua vehit Clytaemneſtram et Paſiphaën, omnesque adulteras, (Virg. Aen. VI. 326. *hi, quos vehit unda, ſepulti.*) cui mox opponitur altera, *ubi*, i. e. juxta quam, *Elyſias aura mulcet roſas*, et qua pars altera, turba caſtarum vehitur.

El. IX. vs. 35.

Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis.

Circoque legebat Scaliger, quod a Broukhusio, experto illo elegantiae Romanae judice, probatum esse et receptum merito miratur Burmannus; Livinejus *circa resonantia*, Heinsius *per tesqua* vel *rura sonantia*, Burmannus *circum antra*, quos vides amovere particulam *que*, quae tamen minime supervacanea est. Construas: *Erro, fontis egens*, sitiens *et*, quod magis impatientem me reddit, *circa* loca *sonantia lymphis*. Idem patiebantur illi Xerxis milites Aesch. Pers. 480, sqq. Στρατὸς δ' ὁ λοιπὸς, ἔν τε Βοιωτῶν χθονὶ Διὼλλυθ', οἱ μὲν ἀμφὶ κρηναῖον γάνος Δίψει πονοῦντες, οἱ δ' ὑπ' ἄσθματος νεοὶ.

El. X. vs. 39—44.

Claudius Eridanum trajectos arcuit hostes,
Belgica cui vasti palma relata ducis,
Virdumari, genus hic Rheno jactabat ab ipso
Nobilis e tectis fundere gaesa rotis.
Illi virgatis jaculantis ab agmine bracis
Torquis ab incisa decidit unca gula.

Vs. 43. *Illi jaculantis* non conveniunt neque a Scaligero et Burmanno apte defenduntur; tum vir-

virgatis braccis cum reliquis non bene cohaerent. Itaque ſic emendare verſum conabar: *Illi virgatas maculanti ſanguine braccas.* Lectiones diverſas *agmine* et *inguine*, in quibus variant codd., ortas eſſe ſuſpicor ex genuina, *ſanguine.* Tentabam etiam, *Illic virgatis jaculantis ab agmina braccis:* nempe *illi* et *illic* in MSS. permutantur, ut apud Terent. Adelph. V. III. 58 et 60, atque eo magis, quia *illi*, pro *illic* olim ſcribebant: (unde apud Virg. Aen. II. 548, illud pro hoc acceperunt Servius et Donatus, ſed citra neceſſitatem). Porro ita haec intelligebam: *Illic*, ſc. apud Eridanum, *jaculantis agmina* Romana *a braccis*, a latere, cet. Nimirum „duobus," ut ait Servius ad Virg. Aen. IX. 417. „generibus manualia tela mittuntur; aut ab aure, aut a latere tela jaciuntur." Scaliger vero ad h. l. Propertii obſervat, Graecorum morem fuiſſe a capite jaculari, allato Euripidis loco Hippol. 220. *παρὰ χαίταν ξανθὰν ῥίψαι θεσσαλὸν ὄφακ'*, cet. barbarorum autem ab inguine s. latere. Ceterum *ab* a caſu ſuo ſejunctum etiam apud alios legimus, inprimis Ovidium, ut Her. IX. 96. ubi cf. Heinſius. Verum, quamvis haec ita probum ſenſum exhibeant, tamen altera correctio est expeditior et ad explendam vel amplificandam ſequentis pentametri ſententiam accommodatior.

El. XI. vs. 37—41.

Testor majorum cineres tibi, Roma, verendos,
Sub quorum titulis Africa tonsa jacet:
Qui Persen, proavi simulantem pectus Achillis,
Et tumidas proavo fregit Achille domos.

Hanc lectionem, ab Heynio profectam, quem vid. ad Virg. Aen. VI. 840, in textum admisit Kuinoelius. In edit. Burmann. legitur *Et Persen, proavi simulantem pectus Achillis, Quique tuas proavo fregit Achille domos.* Quandoquidem manifestum esse videbam, quod et ab Editore elector. Etonens. observatum, Corneliam innocentiae suae testem non invocare Persen, sed eum e majoribus, qui Persen ejusque domos fregerat, nempe L. Aemilium Paulum Macedonicum; olim juvenis ad eundem modum, atque Heynius, hos versus constitueram, ratus *qui* ex hexametro in pentametrum, conjunctionem *et* ex hoc in illum deërrasse, et asſumens Heinſii correctionem *tumidas*. Quam emendationem in schedis asservabam, quia tum probare non poteram viro cuidam doctrina claro, cui displicebat ellipsis *testor eum*, quae vs. 39. intelligenda sunt. Santenius corrigebat: *Te, Persen, proavi simulantem pectus Achillis, Quique tuas proavo fregit Achille domos.* Quae structura minus expedita est.

AD.

ADDENDA.

Pag. 194. lin. 11. *post* discessum *adde:* lugentes.

Pag. 241. Ad Lib. II. El. XXVII. vs. 13, 14.

Jam licet et Stygia sedent sub arundine remex,
Cernat et infernae tristia vela ratis.

Conf. Euripid. Alcest. 252. Ὁρῶ δίκωπον, ὁρῶ σκάφος. Νεκύων δὲ πορθμεὺς ἔχων χέρ' ἐπὶ κοντῷ, Κώρων μ' ἤδη καλεῖ· τί μέλλεις; Ἔπειγου. σὺ κατείργεις, τάδ' ἕτοιμά. Qui locus interpretationem meam egregie juvare videtur, eumque respexisse Propertium vix dubium est.

Pag. 294. Ad Lib. IV. El. VI. vs. 72.

Blanditiaeque fluant per mea colla rosae.

Fortasse ad veterem scripturam *Blandiciae* propius conveniet *Puniceae* s. *Poeniceae*, pro quo perperam quoque scribi potuit *Phoeniceae*, vid. Burmann. ad Ovid. Met. XII. 104. Cf. Virg. Ecl. V. 17. et Horat. IV. X. 4.

INDEX

INDEX

rerum, dictionum et verborum in parte critica occurrentium.

A.

Ab rate vehi non rectè dicitur. 251
Ab a caſu ſuo ſejungitur. 299
Ablativos praepoſitionibus onerarunt librarii. 251
Actia monumenta *non* deſignant Leucadem. 290 ſq.
Admirabilis pro *egregius, excellens.* 164 ſq.
Admirantes irretiebat, non *admirando irridebat* Cn. Lentulus. 156 ſq.
Aeſchylus illuſtratus. 277
Alae Cupidinis, inconſtantiae imago. 221
Alcmenae geminas requieverat arctos Jupiter. 233
Amatores, item cognati et amici, eodem loco et modo ſepeliantur cum ſuis, optant. 223 ſq.
—— de amoribus ſuis loquentes fictis puellarum nominibus utuntur. 231 ſq.
Amicus pro *acceptus, jucundus.* 201
Amor et ardens et ſincerus duplici comparatione expreſſus. 183. ſqq.
Amor longinquus, i. e., diuturnus, non interruptus. 196 ſq.

Amo-

Amoris in puellam integritas cum caritate propinquorum, maxime materna, comparatur. 183 sqq.
Ἀμφὶ ἓ νωμήσας. 146
Ἀπονήμενος. 139
Aqua num Propertio bene dicatur *tremere* prae metu. 291 sq.
Aqua diversa i. e. via duplex per aquas Stygias. 297
Argyani vel *Argynnus natat poena* cet. 253 sqq.
Argynnus et Erginus non confunduntur a Propertio. 257
Artes, τέχναι, μηχαναὶ de blanditiis et gratificationibus, quibus captentur puellae. 188 sq.
Arundo Stygia pro tonsa s. remo Charontis. 241, 301.
Ἀσταχύεσσιν — ἀσταχύων perperam repetuntur. 150 sq.
Attingere, *contingere*, ut simplex *tangere* pro *ferire*. 199
Aurium satietas *delicatior*. 155
Avaritia et luxuria mulierum impudicarum. 162

B.

B et V permutantur. 215
Busta jacentia. 253

C.

C. X.

Calere in agendo. 157
Cara lacrymis ossa. 211
Χαρεῖν de terra hiscente. 148 sq.
Clasica pellere, κρούειν. 176 sq.
Clasica pulsa et *tibia digitis pulsata* differunt ratione. ibid.
Comparationes de eadem re binae recte jungun-tur. 133
Conscendere carmen laudis. 219 sq.
Consolatio ad Liv. tentatur. 296
Contemnere, spernere, negligere res quaecunque dicitur periculą, a quibus est incolumis. 179
Curvare pastorem. 282
Custodum timore, non *tumore*, *septa* puella. 284
Cymba Charontis una, sed capax. 297
Cynthiae, Propertii amicae, lepor et *multis decor artibus.* 190 sqq.

D. A.

D et T permutantur. 215
Dea, passim subjungitur praecedente hujus nomine proprio. 169
Δέχομαι δῶρα de Apolline. 132
Δέδεχθε — ἐμὴν ἰθὺν. 132 sq.
Deos esse negabant aliquando Veteres in rebus de-

desperatis, e prosperis vero contrarium argumentabantur. 181
Deus saepius per epizeuxin repetitur. 215 sq.
—— a poëtis Graecis absolute ponitur pro sole. 251 sq.
Dies festi in lucis celebrati. 292 sq.
Diis acceptum referebant homines, quidquid habebant eximii. 216
Δόναξες et δονῆδες καλάμοιο. 135
Δόναξ et κάλαμος synonyma. 134

E.

Efficere *quidquam*. 156
Ἡγεμονεύειν τινος et τινι, non τινα. 141
Ἐλίκωψ s. ἑλικῶπις. 277
Ennensia prata violis abundantia. 148
Ἕπεσθαι τινι i. e. τῇ φύσει τινος. 143
Ἔργα θεῶν sensu deteriore. 146
Errantia lumina. 267
Ἑταῖρος δαιτὸς, *sodalis* et sim. 149
Excipere, ἐξαιρεῖν, de donis eximiis, quae Diis vel hominibus offerebantur. 238
Extremus orbis de Aegypto cet. 226

F.

Facies plur. num. varias oris corporisque species indicant. 268

Fata debita, mors. 210
Favilla sentire lacrymas. 211
Feminae ob formae non magis, quam animi ingeniique praestantiam laudantur. 191 sq.
Fluere de oratione et oratore, contr. *claudicare*, *haerescere*. 153
Fugere et *cedere* pro *mori*. 216
Fumo primo nubila Capitolia. 287

G.

Gallus — inferna vulnera lavit aqua. 248
Genus neutrum etiam de hominibus usurpatur, ut latius pateat oratio. 239
Gerundia passive quoque usurpantur. 268 sq.
Gradu labi et cadere. 260

H.

Haurire supplicia. 170 sq.
Hesychius defensus et illustratus. 136
Hiscere, χαίνειν, pro *dicere*, *canere*. 249
Homines, animi perturbatione abrepti, ad quasvis res inanimatas orationem convertunt. 194
Humana et *divina* confunduntur. 214
Humano corde volat Deus. 221

I.

Ignaros luctus populavit Achivos. 270 sq.
Ille et *inde* permutantur. 242
Illi et *illic* permutantur. 259
Immerita auris. 236
In a Propertio additur ablativis ex abundanti ad exemplum Graecorum. 231
Indi extremi Asiae populi. 284
Indus aqua Eoa ustus. 284 sq.
Justa dare piae terrae. 253 sq.

K.

Κλειειν, κλειΐζειν et κληΐζειν eximie de poëtis Deorum et Heroum laudes celebrantibus. 139

L.

Labi, ut *elabi* et *delabi* pro *furtim aufugere.* 199
Labor pro periculo, malis belli et ipsa pugna, ἔργον, πόνος. 175 sq.
—— *terret.* ibid.
Lacrymas dejicere, δάκρυα βάλλειν. 209
Limina lacrymantia. 278 sq.
Locare virtutem ita, i. e. eo gradu. 167 sq.

Lucus mollis pro molli humo luci. 293
Lyrae antiquissimae partes quaedam descriptae. 134 sqq.
— — — — — ἠχεῖον et κάλαμος male confunduntur. 135

M.

Μάλιστα. 132
Manus, χεὶρ, pro arte et opere, quodcunque manibus fit. 198
Manus longae i. e. non mutilatae. 259 sq.
Maria navigationi diversa. 159
Μηχανιώτης vox suspecta. 139
Melior ἀμείνων i. e. aptior. 247
Memento hoc iter, ad lapides veni memores. 222 sqq.
Mercurio variarum artium inventio, fortasse et corii parandi tribuitur. 137
Militum caesornm cineres et ossa cum armis domum referebantur aut mittebantur. 263 sq.
Mira laus i. e. eximia. 165
Mirari pro *valde amare* et *cupere.* 266
Moerere jungitur ablativo. 248
Monilia pectori circumdata. 142
Mons a duce Tarpejo cognomen adeptus. 288 sq.
Montes et colles adspicere dicuntur regiones vicinas. 169 sq.

Mon-

Montibus comparantur homines permagnae ſtaturae cet. 170
Morari humana. 214
Moras captare amantium eſt, a ſuis diſcedentium. 258
Multa amare potest, qui dare multa poteſt. 238 ſqq.
Mundi domum temperat Deus. 251

N.

N et H. ſaepe confunduntur. 178, 181
Νάρκισσος, δόλος Proſerpinae. 150
Narciſſus et crocus magnarum Dearum coronamentum. 159
Natura unicuique dedit vitium creato. 233
Navigantes credi ventis, mari, navi, et haec eos debere, ὀφείλειν, dicuntur. 194 ſq.
Negatio duplex pro ſimplici. 231
Nereides vela ſolvunt. 208 ſq.
Nomen pro *homine.* 197 ſq.
Nomina propria pro appellativis ponunt librarii. 229
Novis lacrymis aequus adeſſe incipe. 280 ſq.
Numerare exquiſite adhibetur. 254
Nymphae natura neque mortales neque immortales. 143 ſq.

O. Ω.

Obscurari. 167
Oculi madidi, natantes, labentes, cadentes, euntes. 294 sqq.
Oculi *pro oculorum judicio.* 275
—— pulcritudine dicuntur teneri, abripi, vulnerari cet. 276
—— feminarum rapere et auferre oculos virorum dicuntur. 277
Οἶμος ἀοιδῆς et sim. 220
Opposita i. e. e regione, ante faciem sita. 193 sq.
Ὡς non *necessario* repetendum in comparatione duplici. 134
Oscula opposito debita vento. 192 sqq.
Οὐ θεὸς. 181
Ovidius correctus. 147
—— illustratus. 258

P. Π.

Πάντα λέγειν. 137 sq.
Penelope — facta remansit anus. 217
Pereuntes in aquis nomina suorum invocant. 171
Περὶ χέρματι, non χέρματι. 148 sq.
Περιχυθὴς et πολυγηθὴς. 153
Philetam Musis meliorem imitere. 247
Φόρμιγξ γλαφυρὴ. 135

Pollux (Jul.) defenſus. 136
Ponere proprium est dedicantium. 229
—— *in oculis*, non *oculis*, nedum *oculis ſiccis*. 208
Pontificum annalibus nihil jejunius, non *jucundius*. 165
Poſitura haec docti Dei. 285 ſq.
Praeſens conjunctivi de re futura et incerta. 174 ſq.
Propertius correctus. 184
Propius periclo it timor. 172
Proſerpina, dum narciſſum decerpit, rapta. 148
Primus pro *quum primum*. 288
Puellae, amatorum diſceſſum lugentes, ad ventos etiam querelas effundunt. 194

Q.

Quae multa, οἵατε πολλά. 204
Que (particula) augendi vim habet, ut gr. τέ, etiam. 265
Quid ſi (formulae) uſus varius. 227 ſq.
Quod cum, ut *quod ſi*, *ubi* cet. 166

R.

Reddere pinu cornua. 229 ſq.
Repetitio ejusd. vocis parvo ſpatio interjecto. 175
Reponere fata pro *negligere*. 207

Rerum magna pars Tatio erat inter oves. 279 sq.
Rosae blanditiae. 293, 301

S.

Secla antiquis grata puellis. 236
Sectari canes. 265 sq.
Semper contexerit armis te Musa. 213 sq.
Seneca trag. vindicatur atque illustratur. 256 sq. 275
Servius reprehensus. 290 sq. 299

T. Θ.

Tabellae conscientia. 162
Tabellae sine me verba disserta loqui norant. 274
Τάθην. 137
Ταῦτα, item τοῦτο et saepius τόδε sequentem dictionem monstrat. 138
Tempus efficere ea dicitur, quae in tempore fiunt. 202
Tela manualia duobus modis mittuntur. 299
Terunt haec arma fastus tuos, Icarioti. 264
Θυμὸς et μῦθος permutantur. 145
Tibulli, simplicitate se commendantis, nonnunquam re postulante grandior est oratio. 179
Tibullus illustratus et vindicatus. 202, 284 sq.
Timor oratoris. 154 sq.
Τιμὴν perperam repetitum. 158

Tmeſes durae in Propertio non ferendae. 251
Torus uterque. 226
Tranſitus ſententiarum non nimis anxie quaerendus in Propertio. 244, 262 ſq.
Triton ore recondit aquam. 246

U. V. T.

Val. Maximus corrigitur. 294
Venire ad fata. 222 ſq.
Venire ad lapides. 222 ſqq.
Verba pertinentia ad inſtrumenta χρούμενα transferuntur ad ἐπιπνεόμενα. 176 ſq.
Verba rogandi. 267 ſqq.
Verſus ὁμοιοτέλευτοι, frequentiſſimi erroris cauſa in libris Homeri. 132
Verſuum trajectio ſaepe ſalutaris, ſaepe non neceſſaria, imo temeraria. 177
Veſta θεῶν πρέσβειρα cet. 152
Videre hostem. 163
Vitam ſolvere, λύειν τὸν βίον. 218
Una dies praecurrere amantes potuit. 201 ſq.
Una fides, una dies ambos auferet. 232
Ὑποθυμιάδες. 142
Vulgo conquirere amantes. 189 ſq.
Vultus oratoris. 154
Vultus plur. num. varios oris deſignant habitus. 268

502594
Waardenburg, H. 759
Opuscula oratoria. W111

502594

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY